



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

DIETERICI HERMANNI KEMMERICHI,
Philos. & J. U. D.

PUFENDORFFIUS ENU-
CLEATUS,

Conformatum ad fine B. Tobias

ELEMENTA

JURIS NATURÆ
ET GENTIUM,

per modum

Observationum

Waldemanni Thesaurus ad Minorata Ratibus.
SAMUELIS L. B. de PUFENDORF

Librum de

OFFICIO HOMINIS
ET CIVIS,

Succinctis Positionibus tradita.

Præmittuntur Capita Præliminaria

De Principiis honesti, decori & justi,
nec non Historia Juris natura & gentium
brevisime delineata.

Accedunt Appendix loco

Capita Juris publici universalis & Juris gentium
à Pufendorffio omissa.

LIPSIAE,

Impensis Johannis Friderici Bravnii, 1716.

Illustrissimo atque Excellentissimo

DOMINO

ANDREÆ GOTTLIEB
DE BERNSDORF, I
SACRATISSIMI MAGNÆ
BRITANNIÆ REGIS

Ac
ELECTORIS BRUNSVICO-
LUNEBURGENSIS POTENTISSIMI,
SUMMO STATUS PER GER-
MANIAM ADMINISTRO,
DUCATUS BREMENSIS AC VERDEN-
SIS GUBERNATORI,

& reliqua, Relig.

Domino & Macenati suo Gratiosissi-
mo, hæc pietatis facti deo*r* cultus
monumentum faciunt, non per

Dietericus Hermannus Kemmerich.

*Illusterrime atque Excel-
lentissime Domine.*

Domine Gratiostime.

Exulta in dñe, exulta in dñe,
Exulta in dñe, exulta in dñe,

He x quo mirifi-
ca hæc Gratia
ac felicitas mi-
hi contigit,
quam inter
maxima vitæ meæ lucra
(2 me-

merito reputo, ILLU-
STRISSIMÆ EXCEL-
LENTIÆ TUÆ ut
intotescerem, multa at-
que maxima virtutum or-
namenta fese in TE mihi
obtulere, quorum admira-
tio venerabunda animum
subiit, atque penitus ei in-
fedit. Primo omnium ad-
miratus sum incredibilem
istam & inusitatam pror-
fus humanitatem, qua me
hominem exterum, Gra-
tiæ TUÆ adrepentem,
excepisti, quem non so-
lum blando benignissimo-
que alloquio dignatus es,
sed & summi favoris ac
gratiæ TUÆ certiorem
esse

esse jussisti. Intellexi tunc
deum, quanta sit TUA
in fovendis litteris & littera-
rarum cultoribus benigni-
tas: quæ tanto majori ad-
miratione digna mihi visa
est, quanto remotiores a
litterarum umbra viden-
tur Viri, in ipsa orbis luce,
atque summo rerum fasti-
gio constituti. Admirari
deinceps coepi summam,
quaemines, & consumma-
tam rerum civilium sapien-
tiam, ac probatam in ge-
rendis rebus gravissimis
prudentiam atque dexteriti-
atem: quippe quam &
PRINCIPI SAPIEN-
TISSIMO in pretio esse,


& a civibus prædicari, &
ab exteriis uno ore celebra-
ri, intelligebam. Denique
& admirabilis maxime mi-
hi visa est divinæ justitiae
gloria, qua TE fulgentem
cernebam, atque immorta-
lem populi amorem TIBI
conciliantem, omnium
que animos penitus depo-
ventem animadvertebam.
Certe tanto magis hanc
virtutem in TE suspicien-
dam duxi, quanto longiori
post TE intervallo ejus-
dem amore & exercitio
relinquis, quamplurimos
TUI ordinis Viros, sum-
mosque rerum civium
Administratos, qui pruden-
tia

etiam quidem, non æque ju-
stitiae laude semper clarue-
re. Cum igitur ab eo tem-
pore id meditarer, atque
unice in votis haberem, ut
meæ quoque devotissimæ
mentis in TE extaret mo-
numentum, opportune
tandem fese obtulere, quas
hæc pagellæ complectun-
tur, honesti, decori, & ju-
stiregulæ, sive sanctissimæ
natüræ vel potius DEI le-
ges, quarum vivum in TE
exemplar semper venera-
tus sum, & adhuc vene-
ror. Has igitur ILLU-
STERISSIMO NO-
MINI TUO sacras
esse cupio, nihil magis

abs TE, quaque est submis-
sione, petens atq; conten-
dens, quam ut obseruantiae
ac pietatis tesseram more
Tuo suscipias, meque ab-
fentem uti præsentem Gra-
tia Tua ac Favore comple-
ctaris. Servet TE DEUS,
ILLUSTRISSIME DO-
MINE, in salutem populo-
rum, quos **REX TUUS**
SACRATISSIMUS TI-
Bi gubernandos tradidit,
atque sapientissima justif-
fimaque consilia TUA ad
scopum, quem sibi præfi-
xum habent, clementissi-
me dirigat. Lipsiæ, Ka-
lend. Oct. A. MDCCXV.

PRÆ-

Digitized by Google



PRÆFAT'IO.

DUFENDORF
FIUM Tibi ex-
hibeo, *Benevolè*
Lector, novo
quasi habitu in-
dutum, & muta-
ta paulo facie comparentem.
Vel, ut in terminis similitudinis
in titulo adhibitæ persistam, nu-
cleum doctrinæ Pufendorffianæ,
de Jure naturæ & gentium in li-
bello de officio hominis & civis
traditæ, tibi offero. Non pro-
fus novum est Juris naturæ com-
pendium, quod trado, sed tamen
novum est. Novæ sunt accessio-
nes,

Praefatio.

tones, quæ in principio & fine
non solum adjectæ, sed etiam in
medio ipsis doctrinis Pufendorf-
ianis interspersæ sunt, Primo
omnium principia *honesti*, *deco-
ri*, & *justi* perspicue tradita, &
fundamenti loco collocata sunt;
quæ qui non intelligunt, nec pro-
te discernunt, ad unum omnes
in jure naturæ coœciunt. Ex
his principiis deinceps omnia
iuris naturæ precepta faciliter
deducuntur, additis his vel muta-
tis, quæ forte plenius, clarius, ac-
curatius ab Autore tradi potuiss-
sent. Et ne quid iustor edimen-
tio deficeret, capita iuris publici
universalis & iuris gentium, ab
Autore omissa, addidi. Equis
dem sequit facili forte negotio
novum prorsus compendium
nova methodo adornatum exhibe-
bere potuisse. Quod ex parte
rationis & ex parte stiti

Brefatio

fuit in Academia nostra scientiarum, ubi non solum regulas honesti, quae ad motum doctrinam pertinent, & regulis justi secundum, sed etiam *Ius naturæ in privatum, publicum & gentium* distribui. Sed jam placuit Pufendorffii vestigia legere, ejusque præcepta enucleare atque in clariori luce ponere. Est hoc satis commodum Juris naturæ compendium, quod jam auctoritatem quandam in Academiis adsecutum est, & cui plurimi nobilissimæ Disciplinæ Studiosi vel jam adsveti sunt, vel adsvescere cupiunt. Hunc igitur Autorem atque ducem in collegiis meis hactenus secutus sum, measque observationes per succinctas positiones addidi. Sed ut scribendi molestia in posterum supercedere possent Auditores, typis eas exscri-

Prefatio.

exatribendas curavi. Quod ut
in emolumenta studiorum juven-
tutis, atque Divini Nominis
gloriam vergat, ex animo pre-
cor. Vale.

Iuvante, Vix, Vix, Vix, Vix,
Vix, Vix, Vix, Vix, Vix, Vix,

IN-

INDEX CAPITUM.

Præliminaria.

Cap. I. De Jure naturæ & gentium in genere, ac de principiis honesti, decerti & iusti.

Cap. II. De Obligatione regularum honesti, decerti & iusti.

Cap. III. De Jure & Obligatione regularum iusti, nec non principiis iusti principiis.

Cap. IV. Historia Juri naturæ & gentium brevissima delin-
tientia.

Capita Autoris.

LIB. I.

Cap. I. De Actione humana.

Cap. II. De Norma Actionum humanarum, seu de Lege in genere & de justitia.

Cap. III. De Legi naturali.

Cap. IV. De Officio hominis erga Deum, seu de Religione naturali.

Cap. V. De Officio hominis erga seipsum.

Cap.

INDEX CAPITUM.

Cap. VI. De Officio quorumlibet erga quoslibet; & quidem primo, de non latendis aliis.

Cap. VII. Secundo, de agnoscenda naturali bominum equalitate.

Cap. VIII. Tertio, de promiscuis quoniam officiis humanitatis exercitacionis.

Cap. IX. De Officio paciscentium.

Cap. X. De Officio sermoninatum.

Cap. XI. De Officio jurantium.

Cap. XII. De Officio circa acquisitionem rerum dominium.

Cap. XIII. De Officiis quae ex Dominio rerum per se resultant, & in primis bona fidei possessoribus.

Cap. XIV. De Pretio.

Cap. XV. De Contractibus, qui pretia rerum presupponunt, & fluentibus inde Officiis.

Cap. XVI. De modis, quibus solvantur.

INDEX CAPITUM:

tractur obligaciones, que ex
pactis oriuntur.

Cap. XXII. De Interpretatione

in aliis LIB. IV. q. 10

Cap. I. De statu hominum natu-
ralium, & liberorum.

Cap. II. De Officiis conjugalibus.

Cap. III. De Officiis parentum &
liberorum.

Cap. IV. De Officiis Dominorum
& servorum.

Cap. V. De causis morientibus
constituenda cœtitatis, tunc
impulsiva, tam finali.

Cap. VI. De interna civitatis
structura.

Cap. VII. De Partibus summi Im-
perii, seu regalibus in genere.

Cap. VIII. De Formis Rerum pu-
blicarum.

Cap. IX. De Affectionibus Impo-
rit civilis.

Cap. X. De modis acquirendi im-
perium,

INDEX CAPITUM.

periculi, imprimis monarchi-
cum.

**Cap. XI. De Officio summorum
Imperantium.**

**Cap. XII. De Legibus civilibus in
specie.**

**Cap. XIII. De Jure vita ac necis,
noc non de pénis.**

Cap. XIV. De Existimatione.

**Cap. XV. De Potestate summi Im-
perii in bona civitate contenta.**

Cap. XVI. De Bello & Pace.

Cap. XVII. De Fæderibus.

Cap. XVIII. De Officiis civium.

Appendix.

**Cap. XIX. De Jure summi Impe-
rantis circa officia publica.**


**Cap. XX. De Potestate Imperan-
tis judicaria.**

**Cap. XXI. De Jure Imperantis cir-
ca collegia & universitates.**

**Cap. XXII. De Jure Imperantis
circa sacra.**

Cap. XXIII. De Jure Legationum.

CAP.



CAPUT I.

PRÆLIMINARE;

De Jure naturæ & gentium in ge-
nere, ac de principiis Honesti, Decori
& Justi.

A.

IUS NATURÆ Sapientia regulas continet, quæ actiones hominum ad felicitatem dirigunt.

2. Sunt autem triplicis generis regulæ, quas Sapientia, seu recta ratio, hominibus ad felicitatem contentibus dictat: Scilicet *Honesti*, *Decoris* atque *Justi*.

3. Singulis *Prudentie* seu *Utilitatis* regulæ accedunt, atque in praxi subordinantur.

4. Fundamentum harum regularum est *Felicitas humana*, ad quam ducunt.

A.

S. Ea

CAP. I. PRÆLIMINARE.

5. Ea autem est vel *singulorum hominum*, vel *Societatis humanae*.
6. *Singulorum hominum felicitas* est vel *Interna* vel *Externa*.
7. *Interna felicitas* partim in *tranquillitate animi*, partim in *sanitate corporis* consistit.
8. *Externa sufficiens bonorum ad vitam honestè transigendam necessariorum apparatus* habitur.
9. Felicitas *Societatis humanæ* partim *Amicitia*, partim *Pax seu tranquillitate externa* absolvitur.
10. Fundamentum duplicis hujus felicitatis, qua *societas humana gaudet*, est *diversus hominum status*.
11. Alii enim ad *sapientiam & virtutem* proprius accedunt, adeoque ad amicitiam colendam aptiores sunt.
12. Alii vero ad *stultitiam atque vitia* adhuc inclinant: adeoque satis felices censentur, si in pace saltem vivant, nec se invicem turbent.
13. Ex his intelligi poterit genuina *Regularum, honesti, decori & justi* differentia.
14. Scilicet regulæ *honesti* ad *felicitatem internam singulorum hominum*: regulæ *justæ*

justi & decori ad felicitatem societatis humanae; & quidem illæ ad pacem, hæ ad amicitiam viam sternunt.

15. *Honestum* intra animum residet, atque virtutis studio absolvitur.

16. Virtus vero in amore DEI, sui ipsius & aliorum hominum rationabili consistit, atque affectuum æquilibrio nititur.

17. Igitur sub honesti nomine & pietas, & honestas strictius dicta, & charitas comprehenditur.

18. *Decorum* in factis, verbis, gestibus residet, atque adeo certis quibusdam signis constat, quibus interna virtus & honestas sese externe conspicendam præbet. Unde *Honestum* externum vocatur.

19. Est autem *Decorum* vel *naturale* vel *civile*.

20. *Naturale* in signis consistit, quæ necessarium cum virtute interna nexum habent, atque adeo naturali ratione ex eadem conseqvuntur. Unde hoc apud omnes homines idem est.

21. *Civile* vero signis ex hominum arbitrio natum constat. Unde hoc pro varietate hominum variat.

22. Estque iterum vel *Commune*, quod à pluribus gentibus, quas novimus, rece-

4 GAP. I. PRÆLIMINARE.

ptum est: vel *Peculiare*, quod pro diversitate gentium, provinciarum, urbium, imo societatum quarumvis variat.

23. *Jus* itidem ad actiones externas spectat, quatenus scilicet homini *jus* competit eas suscipiendi.

24. Sumitur autem *jus* vel pro *lege* seu *norma actionum*: vel pro *potestate* morali aliquid agendi secundum illam normam;

25. *Jus pro lege* sumtum vel *Naturale* est, vel *Positivum*:

26. *Illud* ex ipsa hominis sanæ rationis beneficio cognoscitur, atque omnes homines obligat.

27. *Hoc* vero ab imperantibus arbitrio pendet, atque ad certum populum spectat.

28. *Jus naturale*, quod & universale vocant, si *tatori* sensu accipias, & regulas honesti & decori & justi ambitu suo complectitur. *Strictiori* vero sensu sola justi principia explicat.

29. *Posteriori* igitur sensu acceptum *Jus naturale* seu *Jurisprudentia naturalis* est scientia legum naturalium, quæ omnium hominum actiones à pacem & tranquillitatem societatis humanæ dirigunt.

30. At-

30. Atque hoc Jus naturale in *Privatum*, *Publicum* & *Gentium* commode distribuitur.

31. *Jus naturale privatum* jura atque officia tradit, quæ ad singulos homines spectant, etiam extra societatem civilem viventes.

32. *Jus naturale publicum* jura & officia summorum imperantium atq; subditorum qua talium interpretatur. Dicitur & *Jus publicum universale*.

33. *Jus Gentium* Jura atque officia gentium erga gentes ex naturalibus rationibus deducit.

34. Atque hinc facile liquet, an detur Jus Gentium?

35. Sumitur enim Jus Gentium vel pro moribus gentium, vel pro legibus omnes gentes obligantibus.

36. Priori sensu quidem datur, sed ad decorum civile, non vero ad regulas justis spectat, adeoque causam belli non producit;

37. Posteriori sensu itidem datur, sed pars juris naturæ est ad integras gentes applicati.

38. Non vero datur ius gentium voluntarium seu positivum, à iure naturæ diversum,

6 CAP. I. PRÆLIMINARÈ.

sum, & tamen instar legis gentes obligans,
causamque belli producens.

39. Quoniam nec Gentes ipsæ hujusmodi legem inter se unquam tulerunt, nec superiorem habent, præter DEum, qui easdem tulerit.

40. *Jus positivum in Divinum & humanum: Divinum verò iterum in universale & particolare vulgo dispescitur.*

41. Sed posterior distinctio est nullius pretii: quoniam jus aliquod positivum universale nunquam promulgatum est, nec exemplis ullis demonstrari potest.

42. Jus igitur positivum divinum omne est particulare, scilicet illud, quod DEus populo Judaico præscripsit, atque in *cere moniale & forense* distingvitur.

43. *Jus positivum humanum est vel publicum vel privatum.*

44. *Illud legibus fundamentalibus nititur, atque nexus summorum Imperantium & subditorum certæ cujusdam Reipublicæ eorundemque Jura atque officia definit.*

45. *Jus privatum à summo Imperante subditis præscribi solet, ad actiones eorum erga se invicem dirigendas, & cum primis lites*

CAP. II. PRÆLIMINARE.

Hites de meo & tuo vel præcavendas vel componendas.

46. Dicitur etiam *Jus civile*, inter eūjus species eminent *Jus Romanum*, quod a Justiniano in usu*Corpus collectum*, & in Germania ex parte ac in subsidium receptum est.

47. De Jure pfo potestate agendi sumto Cap. III. agetur.

CAP. II.

De Obligatione Regularum honesti, decori & justi.

Un homines à natura ad stultitiam & vitia proclives sapientia regulas obseruent, opus est obligatione.

2. Est autem *Obligatio* necessitas moralis voluntatem ad aliquid agendum impellens ac determinans.

3. Impellitur verò voluntas vel *sper* felicitatis, vel *metu* infelicitatis.

4. Prius *premium*, posterius *pæna* appellatur, vocibus latiori sensu acceptis.

5. *Premium* enim est bonum, quod propter virtutem vel bonam actionem: *pæna*

3 CAP. II. DE OBLIGAT. REG. &c.

verò malum, quod propter vitium vel malam actionem homini obvenit.

6. Est autem *pena* vel *naturata* vel *arbitria*.

7. *Naturalis* est, quæ ex *vitio* vel *mala actione* *naturali* *necessitate*, tanquam *effetus* ex *causa*, sequitur.

8. *Arbitraria* verò, quæ ab *arbitrio* *superioris* pendet, neque *naturalem* cum *mala actione* *nexus* habet. Estque vel *divina* vel *humana*.

9. *Divina* est, quæ *hominibus* ob *peccata* *infligitur* à *DEO* *causas* *secundas* ita *dirigente*, ut ad *infelicitatem* *hominis* *vergere* videantur.

10. *Humana* verò est, quæ à *summo imperante* *legibus* *additur*, & vel in *nullitate* *actionis* *susceptæ*, vel in *damno* *rei familiaris*, vel *afflictione corporis*, cum *privatione* *vitæ* nonnunquam *conjuncta*, consistit.

11. Eadem est ratio *præriorum*, quæ itidem vel *naturata* sunt vel *arbitraria*, & hæc iterum vel *divina* vel *humana*.

12. Obligantur igitur omnes *homines* ad *leges* *naturales*, h. e. *regulas honesti*, *decori* & *justi* *observandas*: ob *felicitatem*, quæ *instar* *præmii* *observantium*; & *infelicitati-*

citatem, quæ instar poenæ neglectum earundem comitatur vel consequitur.

13. Sed alia est obligandi ratio, si homines respectu DEI: alia, si inter se & in societate humana considerentur: alia in foro poli, alia in foro soli.

14. Prior Obligatio in conscientia seu interna, posterior externa vocatur.

15. Respectu DEI & in conscientia homines & ad honesti, & ad decori (naturalis scilicet,) & ad justi regulas æquali ratione perfectissimè obligantur, nec ulla est obligationis diversitas.

16. Fundamentum obligationis internæ est: quod Deus homines vult felices esse, adeoque leges naturales seu regulas sapientiæ ab illis observari

17. Cum verò homines leges naturales non observent, nisi præmiis vel poenis impellantur: sequitur, Deum etiam hoc medio ad felicitatem hominum promovendam uti velle.

18. Metuendæ igitur à DEO poenæ non solum naturales, sed & arbitrariæ omnibus voluntati Divinæ obnitetibus: speranda verò omnigenæ felicitatis præmia leges naturales observantibus.

19. Sed diversa est obligandi ratio, si regulæ honesti, decori & justi ad societatem humanam referantur: tunc enim obligatio vel perfecta est vel imperfecta.

20. Scilicet perfecte solæ regulæ justi, regulæ honesti verò & decori imperfecte tantum obligant.

21. Est autem obligatio perfecta, quæ vim coactivam infert externam, vel per judicia vel per bella se exerentem.

22. Imperfecta vero, quæ citra ejusmodi coactionem externam homines vel per solidam spem amicitiae & felicitatis internæ, vel per metum contemptus ac odiū vel infamiae ad honestas & decoras actiones impellit.

23. Fundamentum diversæ hujus obligationis est partim diversus hominum status, partim diversa felicitatis humanae ratio.

24. Scilicet homines improbi, stultitiaeque & vitiis immersi magis coactionibus externis, quales sunt bella & poenæ arbitriæ, aliave remedia à judece adhiberi solita, coercentur.

25. Probi verò sapientiaeque & virtutis studiosi magis præmia naturalibus, speque feli-

felicitatis suæ & aliorum hominum promovendæ ad rectè agendum incitan-tur.

26. Sed & diversa felicitatis humanae ratio ita postulat: videlicet citra pacem societas humana ejusdemque salus prorsus consistere nequit; unde remediis quibuscumque etiam improbi ad eam adi-gendi sunt.

27. Etiam pax ita comparata est, ut remediis ejusmodi coactivis quodammodo obtineri queat.

28. Sed prorsus alia est ratio amicitiae, quæ felicitatem hominum perfectiofem quidem reddit ejusdemque nobilior pars est: at remediis coactivis externis conciliari neutiquam potest.

29. Cum enim in mutuo amore mutuaque voluntatum unione illa consistat: non nisi officiis ex mutuo amore provenientibus, vel eundem excitanti-bus initur, atque adeo cujusque virtuti relinquitur.

CAP. III.

De Jure & Obligatione regula-
rum justi, nec non primis justi
principiis.

I.

Jus est potestas in societate humana ali-
quid agendi, quod ad felicitatem hu-
manam faciat, aliosque eam impedire vo-
lentes arcendi.

2. Nunquam vero Jus alicui competit,
nisi respectu aliorum hominum seu in
societate.

3. Est autem *Societas congregatio ho-*
minum, qui mutuo jure mutuaque obli-
gatione inter se colligantur. Sive: est
unio plurium ad eundem finem.

4. Ex Jure autem nascitur *Obligatio*
(strictè sic dicta,) seu necessitas moralis al-
teri jus suum tribuendi, neminemque in
usu juris sui turbandi.

5. *Actiones, quæ ex obligatione pro-*
*veniunt, dicuntur *Officia*; quippe quæ nihil*
aliud sunt, quam actiones, ad quæs lege
obligamur.

6. *Officia igitur ex juribus, non ju-*
ra ex officiis deducenda: quamvis vul-
go

go secus fiat, quod mihi præposterum videtur.

7. *Fundamentum omnis juris, quod homini competit, partim in felicitate humana, partim in aequalitate hominum positum est.*

8. A natura enim, vel potius à DEO, cuivis hominum potestas concessa est felicitatem suam promovendi, omniaque impedimenta ejus removendi.

9. Id quod partim ex naturali instinctu apparet; quo omnes homines ad felicitatem suam feruntur, partim ex bonitate DEI, qvī non potest non velle homines esse felicissimos.

10. Præterea omnes homines natura sunt æquales, qvia omnes sunt æquæ homines: ad eoq; normosolum æquali impulsu ad felicitatem suam promoveridam impedimentaque removenda conrendunt, sed & æquali omnes potestate hœ faciendi gaudent.

11. Hinc sequitur, quod si alter alterum in felicitate sua promovenda impedire vellet, alter potestatem habeat impedientem quovis modo repellendi: qua ratione pax societatis humana turbatur.

12. Quem-

12. Quemadmodum igitur prima Juris regula est: Cuivis homini jus competit, felicitatem suam promovendi, & impedimenta repellendi.

13. Ita primum officium, quod inde sequitur, est: Suum cuique Jus promoven-
di felicitatem suam trahiendum, nemo que in felicitate sua turbandus.

14. Hoc est, quod vulgo dicitur: *Suum cuique trahiendum, Nemo ledendus.*

15. Primum vero consecutarium, quod ex his principiis justi fuit, est: *Dominum resarcendum.*

16. Hæc igitur sunt prima justi principia, alterum permissivum, alterum preceptivum: alterum juris, alterum officii.

17. Preceptivum quidem duplex vide-
tur, sed re ipsa unum est: cum alterum altero contineatur. Hæc sola differentia est, quod alterum negativè, alterum vero affirmativè effertur.

18. Cum vero nulla lex valeat, nisi vim obligandi habeat, qua in premiis & poenis posita est: neque hæc justi principia & leges naturæ fundamentales vi obligandi destituuntur.

19. Fun-

19. Fundamentum verò obligationis iterum in felicitate humana, & potissimum pace societatis humanae possum est.

20. Quisquis enim contra jus agit, pacem turbat, alterumque, quem lædit, ad vindictam provocat, adeoque mille mox Iestias & incommoda sibi creat: quæ pena naturalis est omnem injuriam comitans.

21. Quisquis verò suum cuique jus tribuit, is pacis fructibus gaudet, quod primum justitiae naturale est.

22. Ceterum competit nobis jus vel à natura, vel ex consensu aliorum hominum acquiritur: prius *jus connatum*, postea *acquisitum* *jus appellare* liceat.

23. Prioris exempla sunt, *jus fere servandi & defendendi*, *communio bonorum*, *libertas*.

24. Posterioris exempla in *dominio* & *imperio* conspicua sunt.

25. Scilicet acquirimus *Jus* vel in *rebus*, vel in *personas*: prius *dominium*, posterius *imperium* vocatur.

26. Medium verò acquirendi aliquod *Jus* dicitur *Pactum*. De singulis infrafusius agetur.

CAPUT

CAPUT IV.

Historia Juris naturæ & gentium
brevisimè delineata.

I.

Jus naturæ simul cum hominibus ipsis portum, atque in prima statim creatione illorum cordibus inscriptum est: at disciplina juris naturæ sequioribus demum seculis originem debet.

2. Sed distingvenda sunt tempora ante & post hominis lapsus

3. Ante lapsus homo connata sapientia dictamina sanctimonia vita exprimebat, nec opus erat, ut per modum disciplinæ ipsi traderentur.

4. Absolvebatur verò tunc fere jus naturæ sancto DEI, sui ipsis, & proximi amore, sapientique & cœaurarum usu, & sobolis procreatione atque educatione.

5. Dominii verò, pretii, contractuum juramentorum, imperii civilis, belli, pacis, foederum, legatorum, &c, quæ de his omnibus hodie obtinent, jurium, nullus erat usus.

6. Sed post lapsus alia rerum facies sapientia in stultitiam conversa erat, & prævirtutem.

virtute, sanctitate & justitia, vitia ista, ambitio, avaritia & voluptas, animis hominum dominabantur.

7. Hinc disciplina opus erat, & corrupti hominum mores præscriptis sapientiae regulis emendandi, atque ad vitam honeste ac feliciter transigendam efformandi.

8. Evidem ab initio scripta præcepta nulla: sapientiores exemplis magis quam regulis alios erudiebant, & intra institutionem domesticam fere doctrinam morum se se continebat.

9. Postea in diversa abibant mortales: alii diviniorem sapientiam, ab Adamo & Noacho traditam atque ad posteros propagatam, sectabantur; alii suis ratiociniis, saepe fallacibus, indulgebant.

10. Illi populum DEi constituebant, qui primum sub *Hebraorum*, deinde vero *Christianorum* nomine inclaruit.

11. Hi vero Ethnici dicti, vel *Barbari*, vel *Graci*, vel *Romani* fuerunt.

12. Apud Hebreos igitur vera sapientia florebat, sine scripto primum à Patriarchis, quos vocant, suis instillata.

13. Deinceps scriptæ à DEO leges per ministerium Mosis huic populo promulgatae.

18 CAP. IV. DE HIST: JUR, N. & G. &c.

tæ sunt, quibus & regulæ honesti & decori & justi continentur.

14. Has & Davides, Juris Divini studiosus, egregie in suis Psalmis illustravit, & Salomon, sapientissimus Regum, variis sapientiæ regulis in suis Proverbiis & Ecclesiaste adauxit.

15. Easdem & Prophetæ, oraculorum divinorum interpretes, in suis orationibus & explicarunt & inculcarunt.

16. Ultimi Hebræorum, qui præcepta morum incorrupta tradidere, Syracides & Autor libri sapientie fuerunt.

17. Posthæc variis & nefandis erroribus sanctissima doctrina à Phariseis, Legisperitis atque Rabbinis inquinata fuit, ob superstitionis ac sectarum corruptelas non solum, sed & imprudentem philosophiæ gentilis admixtionem.

18. Inter barbaras, quas vocant, genzes, Sabii, Chaldei, Perse, Indi, cum primis verò Sinenses morum philosophiæ operam dèdere; in quorum scitis verioris quidem sapientiæ vestigia, sed & superstitionis ac perversa dogmata, mysticis sæpe ac hieroglyphicis involucris tecta, observantur.

19. Apud

19. Apud Gracos septem Sapientes primis temporibus celebrantur, quorum dicta quedam ad morum doctrinam spectantia, adhuc extant: sicut & poeta nonnulli hujus generis scriptis suis inservere.

20. Imprimis vero Pythagore instituta ad morum culturam haud parum contulere, quippe quae ad emendationem sui maximè erant accommodata.

21. Ceterum cum ante Socratem plerique philosophorum physicis ac astronomicis speculationibus indulgerent, hic primus philosophiam è cœlo in terram deduxisse dicitur, dum ad honestatem vitæ ac justitiam exercendam homines & sermonem & exemplo adducere conatus fuit.

22. Ex Socratis Scholâ diversæ philosophorum sectæ prodiere, quarum diversa in philosophiam moralem existant merita; celebriores fuerunt *Academica*, *Peripatetica*, *Stoica*, *Epicurea*.

23. *Academica* sectæ conditor Plato haud raro quidem morum doctorem in Dialogis suis se exhibet, nec contemnenda juris naturæ præcepta iis saepe inspargit; sed pleraque abstrusis ac mysticis speculationibus, infinitisque dubiis involvit.

24. *Peripatetici*, quorum antesignanus

Aristoteles, primi quidem systematicè morum philosophiam tradidere, sed subtiliter magis, quam utiliter: cum & doctrina de summo bono obscura sit, nec catalogus undecim virtutum vel ad emendandam voluntatem, vel justum ab injusto discerendum sufficiat.

25. *Stoica secta*, ex *Cynica*, decorum negligente, orta, præclarissimè quidem de morali philosophia merita est, atq; egregia de officiis præcepit; sed fundamentum est nullius pretii & spinozisimum ante Spinozam sapit; ut taceam, quæ de sapiente suo magnificè jactat, inanem esse ideam, re & fundamento destitutam.

26. *Epicurei*, ob summum bonum in voluptate quæsumum vulgo malè audiunt: quamvis ipsius Epicuri philosophia forte tam absurdâ non fuerit, uti ex dictis pariter ac factis ipsius appetet.

27. Generatim vero de omnibus his sectis affirmare liceat, eas regulas honesti, decori & justi neque exhauste, neque ritè distinxisse, adeoque nec finium inter Ethicam & Jus naturæ accuratè regundorum debitam rationem habuisse, imò magis circa internâ, moderationem scil. affectuum, occupatas fuisse, de Jure naturæ vero,

vero, quod externa solum moderatur, parum aut nihil praecepisse.

28. A Græcis ad *Romanos* philosophia, & cum philosophia sectarum quoque diversitas translata est: quamvis Stoica, inter Jurisconsultos imprimis, plurimos se statores inveniret.

29. Eadem causa Ciceroe sequutus est, licet eclectici videri voluerit: quippe qui ad ductum Stoicorum præcipue legregium de *Officiis* opus conscripsit; quod tamen justum iuris naturæ systema haud adimpleret.

30. Sed nova lux veræ sapientiae exorta, suusque juri naturali splendor restitutus est, dum *Christus* Servator doctrina ac veritate cœlesti orbem illustrare coepit, eamdemque *Apostolis* ulterius explanandam ac propagandam demandavit.

31. Hinc *Patres Ecclesie* quoque de officiis hominum & Christianorum commentati sunt, sed philosophiam ethanicam doctrinæ christianæ parum feliciter sape junxerunt.

32. Posthac incidit tempus; crassissimis ignorantiae tenebris fœdum; ubi Jus naturæ quoque cum cæteris artibus ac scien- tiis prorsus incultum, ac squalore & rubigi-

ne oblitum jacuit, iuperltitionis vero regnum magnis undique viribus stabili-
sum est.

33. Cum vero inter ceteras Occiden-
tis provincias Germania Christi sacriss ini-
tiata fuisset, auspiciis Caroli M. in primis
scholæ institutæ sunt, sed nonnisi Mona-
chis Magistris utentes, qui *Scholaſtici* in-
de dicti, Aristotelem in philosophia du-
cem secuti sunt.

34. Sed Aristotele non sufficiente, &
Sacrum Codicem, & Patres Ecclesiæ in
subsidiū vocarunt, variaque juris natu-
ralis capita subtili ac spinoso disputandi
genere excusserunt, unde *Philosophia* ac
Theologia Aristotelico-Scholaſtica epata; cui
mox non solum juris civilis & canonici
placita, sed & pernicioſa Jesuitarum dog-
mata admixta, atque adeo nobilissima
doctrina misere depravata est.

35. Nec per reformationem Lutheri
malo remedium paratum, Philippo Ari-
stotelem adamante, qui & in Protestantini-
um scholis unà cum *Philosophia Scholaſtica*
aliquantis per regnavit.

36. Surgente demum Seculo XVII. fe-
liciora fata Jus naturæ experiri, atqve à
sqvalore Scholaſticorum repurgari cœpit,

Hu-

Hugone Grotio potissimum auctore, atque felicissimo egregiae disciplinae restauratore.

37. Hic cum esset vir acerrimi ingenii ac vastae eruditionis, opus, hortante illustri viro Peirescio, & subsidia subministrante, aggressus, jus naturæ & gentium in ordinem redigere, atque ad genuina fundimenta sua revocare, quæque ad jus positivum spectant, ab eodem secernere, conatus est: quod &, quantum per id tempus licuit, opere de *Jure Belli & Pacis* edito, præsticit.

38. Hoc opus ab initio magno cum eruditorum pariter ac aulicorum applausu suscepit; his instar oraculi in controversiis Principum istud consulentibus, illis tanquam novum corpus juris idem in collegiis suis fundamenti loco collocantibus.

39. Nec quisquam, dum vixit Grotius, quidquam contra mouere ausus fuit, nisi quod in indicem librorum prohibitorum iussu Papæ relatum sit: mortuo vero Autore certatim erudit vel notis & animadversionibus illud castigare, vel amplioribus commentariis illustrare, vel re-

dactum in compendium enucleare allaborarunt.

40. Inter notas & commentarios potiores sunt: *Jo. à Felde Annotata*, quibus à *Graswinckelio Strictura* oppositæ, mox iterum refutatae; *J. H. Baetleri Commentatio in H. G. J. B. & P. Casp. Ziegleri Notæ & Animadversiones*, *Jo. Adami Osiandri Observationes politica & morales*, *Val. Veltbeimii Introductio in opus Grotianum*, *Jo. Georg. Simonis*, *Jo. Frid. Gronovii, Tesmari & Obrechti*, *Jo. van der Muelen*, denique *Variorum Notæ opera Becmanni editæ*.

41. Inter Compendia extant *Jani Klenkii Institutiones Juris naturæ, gentium & publici*, *Joh. Henr. Spiceri Compendium Grotianum*, *Jo. Georg. Simonis Grotius erematicus*, *Schefferi nucleus*, *Mulleri Tabulae*, *Vitriarii Institutiones Juris nat. & gent.*, *Kulpistii Collegium Grotianum*, *Gvil. Grotii Enchiridion de principiis juris naturalis*, *Jo. Reinh. Hedingeri Sicutimenta Philosophiae Juris ex illustris Grotii libri de J. B. & P.*

42. Denique & versiones Grotii prodiere, Gallica nimirum *Curtini* & Germanica *Schützii*.

43. Multum præstítit Grotius, sed tamen & nœvi in eodem notantur: errores theo-

theologici nimirum, incautum Scholasticorum studium, convenientia legis cum sanctitate divina, unà cùm socialitate & consensu gentium principii loco collocatum, denique erronea de jure gentium sententia.

44. Post Grotium *Thomas Hobbesius, Anglus*, subtilissimi ingénni, ac variis scriptis clarus, Jus naturæ novis ac monstrosis principiis firmare atque explicare ausus est, editis de *corpo*, *dé civi*, ac de *Leviathane* libris.

45. Fundamenti loco statum naturalēm ponit, quem statum belli asserit, atque ex jure omnium in omnia, insitaque omnibus nocendi voluntate pariter ac facultate deducit.

46. Cum verò nulla salus bello, pacem quærendam præcipit, si haberi possit, sin minus, quærenda esse belli auxilia.

47. Ut autem pax haberi possit, porro ratiocinatur, naturali libertati ac juri in omnia renunciandum, & absolutæ imperantis potestati sese subjiciendum esse; idque per pacta, quæ adeò sanctè servanda sint.

48. Sed cum in saniorem non solum philosophiam, sed & theologiam impin-

gere videretur Hobbesius, adversarios contra se excitavit *Cumberlandum*, *Bramballum*, *Cocquium*, *Scharrackium*, *Felmerum*, *Schafium*, *Strimesium*, aliasque, qui pari studio, sed impari successu, calamos adversus eum acuerunt.

49. Sectatores tamen & defensores quoque nonnullos nactus est, inter quos *Scargilus*, *Veltbysius*, *Becmannus* & *Gundlingius* imprimis innotuere.

50. Præter hos & alii quædam tentarunt, ad culturam hujus disciplinæ spectantia, ut *Seldenus* & *Mervius*, sed parum ad rei summam contulerunt.

51. Felicior hac in parte *Pufendorffius*, qui à *Weigilio* primum ad studia moralia excitatus, deinceps *Grotii* & *Hobbesii* vestigia premens, jus naturæ in meliorem ordinem redigere, ac nævos à ceteris admissos emendare, defectusque eorum supplere annis est.

52. Edidit hunc in finem primum *Elementa Jurisprudentia universalis*, deinde opere majori *Jus nature & gentium uberioris exposuit*, denique in Libro *de officiis hominis & civis* illud in compendium misit.

53. Sed

53. Sed cum tritam Scholaisticorum viam desereret, non paucos statim adversarios nactus est, quorum primi collegæ ipsius in Academia Lundinensi, *Jofua Schwartzeius* & *Nicolaus Beckmannus*, fureo, qui edito *novitatum indice* hereseos notam ipsi inurcere, variisque scriptis famam ejus suggillare non dubitarunt, quibus tamen acriter respondit Pufendorffius.

54. Deinde & alii adversus eum insurrexerunt, scil. *Jo. Adamus Scherzerus*, *Fredericus Gesenius*, *Valentinus Weltbemius*, *Jo. Joachimus Zentgravius*, *Samuel Strimesius*, omnium maximè verò *Valentinus Alberti*, qui variis scriptis magnisque animorum motibus inter se concertarunt, donec lis, *Thomasio in primis ac Rechenbergio intercedentibus*, composita est.

55. Non defuere tamen, qui justum doctrinis Pufendorffianis pretium statuerent, easque vel contra adversariorum næpias defenderent, vel novis accessionibus aut observationibus locupletatas, vel in novam compendii formam redactas, vel in alias lingvas translatas, in clariore luce poserent.

56. Eminent inter hos *Thomasius*, *Hertius*,

tius, Titius, Rechenbergii, Buddeus, Weberus, Barbeyracius.

57. In primis illustris *Thomafus*, cum *Grotium* à Patre prælectum audivisset, insigni hujus studii dulcedine captus, suam illi excolendo atque ornando operam impendere decrevit.

58. Cum igitur majus Pufendorffii opus prodiret, ei istud quidem admodum arridebat, sed unicum displicebat, alienæ nimirum à receptis Scholasticorum placitis sententiaæ.

59. Opportune Index novitatum in manus incidebat, quibus armis orthodoxam veritatem sese defensurum, Pufendorffijque errores oppugnaturum sperabat.

60. Sed imbecillitatem armorum sentiens, in castra Pufendorffii transibat, atque omne sectarum studium, auctoritatisque humanæ præjudicium ex animo removere studebat.

61. Post præeos igitur forensis exercitium, in quo & ipsum Juris naturæ usum maximum deprehenderat, docentis provinciam denuo occupat, atque *Institutiones Jurisprudentie Divine* publici juris facit.

62. In

62. In his duo præstitit: primum Pufendorff principia contra aduersarios vincit, atque hinc partim Scholastico, rum opiniones de lege Dei aeterna, convenientia actuum J. N. cum sanctitate divina antecedenter ad voluntatem divinam, & per seitate turpitudinis & honestatis revellit; partim B. Alberti novas hypotheses, de Jure naturæ ex statu integritatis deducendo, examinavit.

63. Dēinde genuina legis positivæ universalis fundamenta ex sacro Codice eruere allaboravit.

64. Quamvis autem à variis ac sinistris judiciis non prorsus immunis maneret hic liber, tamen à nemine aperte oppugnatus fuit: quæ vero cum B. Placatio, Praeschio, Rotbio, Bodino super non-nullis juris naturæ capitibus enatæ sunt controversiæ, non adeò magni momenti fuere.

65. Cum autem dies diem doceat, curas posteriores elaborato Juris naturæ systemati adhibuit, ac *fundamentis Juris nature & gentium* in lucem editis, nonnulla emendavit atque clarius proposuit, cum primis principia honesti, decori & justi recte discernere docuit.

66. Tria

66. Tria quoque verba de B. *Placcio* addere liceat. Is enim cum philosophia & practicæ studio itidem maximè delectatur, methodo medica pariter ac mathematica. *Accessiones Ethices, Juris naturæ & Rhetorices* elaboratas in lucem emisit.

67. Et quæmàdmodum in *Ethica* ömnia ad amicitiam cum DEO dirigit, ita in Jure naturæ sola jura & officia, quæ in cohortio sibi societate humana observanda sunt, considerat, atque Ius naturæ in privatum & publicum dispertitur, in hoc vero de civitate, imperio ac jure gentium agit: sed ob subtilem & abstractam philosophandi rationem non adeò multis sese probavit.

OBSER-

OBSERVATIONES

AD

LIBRI PRIMI

CAPUT I.

De Actione Humana,

Ad §. 1.

I.

Clarius *Officium* difinitur: *Actio*, ad quam lege obligamur.

C 2. Sunt autem *Officia* vel *bona*, quæ ad *Ethicam*, vel *decora*, quæ ad peculiarem scientiam decori, vel *justa*, quæ ad *Jus naturæ* strictè sic dictum spectant.

Ad §. 2.

3. *Actiones hominum* sunt vel *naturales* vel *morales*. *Ha* voluntatis imperio subjacent: *Ille* verò huic imperio sunt exemptæ, & solo naturæ impulsu perficiuntur. Scholastici distingvunt *actiones hominis* & *humanae* eodem fere sensu.

Ad §. 3.

4. *Intellectus* & *Voluntatis* *natura* & *opera-*

operationes in genere hoc §. exponuntur: quæ duo *Actionum* hūmanarum *principia* vulgè vocantur; cùm nonnisi prælucente intellectu bona actio à voluntate proficiat queat.

Datum --- formare.

5. Tres mentis seu intellectus operationes hic Autor videtur innuere: scilicet simplicem rei apprehensionem, judicium, & ratiocinationem.

Sed ut --- judicare.

6. Intellectus est vel *theoreticus* vel *præticus*. Ille circa universalia versatur, qualia in scientiis seu disciplinis traduntur: hic circa singularia, qualia sunt actiones humanæ cum suis circumstantiis consideratæ. Ad illum igitur spectant *jura*, ad hunc *facta*.

7. Judicat autem intellectus vel de actionibus futuris, an & quomodo suscipiendæ sint; & hoc dicitur *Consultatio*, cuius habitus est *Prudentia*: vel de præteritis, recte ne an secus perpetratae sint, & hoc *Judicium* in specie appellatur. Unde *Jurisprudencia* in *Consultatoriam* & *Judiciale* distinguitur.

8. Deinde judicium fertur vel de actionibus *alienis*; & hoc *Judicii* nomen retinet:

net: vel de *propriis* sive *succiuptis* sive
fusciendi, & hoc dicitur *Conscientia*.

Sed nec omnes hominis facultates --
respuit.

9. Actus motusque *Voluntatis* leviter
hic Autor perstringit, neutquam accura-
tè percenset aut distingvit.

10. Scilicet voluntas vel seipsum intrinse-
co quodam impulsu movet & ad agendum
determinat: vel ab objectis seu rebus ex-
ternis movetur.

11. Res verò externæ prout diversas
voluntatis inclinationes afficiunt, ita vo-
luntatem vel in partes trahunt, vel à se se
avertunt.

Ad §. 4.

12. Quæstio: an homo facultate pol-
leat leges naturales intelligendi? rectè af-
firmatur: 1.) quia alias transgressio earum
saltem in foro humano eidem imputari
non posset; & quia 2.) experientia ipsa
assertionem comprobat.

Ad §. 5.

13. Cum verò omnis actio legibus at-
temperanda sit, de *Conscientia* hic impri-
mis agendum, quippe quæ actiones pro-
prias ad legis præscriptum examinat, &

C hinc

34 CAP. I. DE ACTIONE HUMANA.

hinc bonitatem earum vel pravitatem colligit.

14. Tres igitur Conscientiae velut partes sunt: 1.) notitia legis seu Juris, 2.) notitia facti, & 3.) sententia de facto legi consentanea.

15. Rectius conscientia in *Rectam* & *Erroneam*: Recta vero iterum in *certam* & *probabilem* distribuitur.

16. Conscientia *recta* ex principiis veris, *erronea* ex principiis falsis: *Certa* ex principiis certis & indubitatis, *probabilis* ex principiis probabilibus de actionibus judicat.

Ad §. 6.

17. Conscientia *dubia* neque ad rectam, neque ad erroneam pertinet, sed inter utramque fluctuat, neque de actione judicat, sed judicium suspendit.

18. Unde nec actio suscipi debet, de cuius bonitate ac pravitate adhuc dubitatur: quia actio, cuius convenientia cum lege non appetet, peccato æquiparatur.

Ad. §. 7.

19. Impeditur nonnunquam Intellectus & judicium practicum *Ignorantia* seu notitiae absentia & *Error* seu notitiae depravatione.

20. *E-*

20. *Error ex ignorantia propullulat, dum de rebus judicamus, quarum claram nondum ideam animo concepimus, seu quarum sufficienti destituimur notitia.*

21. *Error vel vincibilis est, qui studio evitari poterat: vel invincibilis, qui evitari non poterat. Eadem ratione Ignorantia distinguitur.*

22. Ultraque & ignorantia & erronea notitia vel *jurus* est vel *facti*.

23. Circa communia Juris naturæ præcepta ignorantia & error invincibilis haud facilè admittitur: bene vero circa singulæ negotia, corumque circumstan-
tias.

Ad §. 8.

24. Interdum ignorantia caussa est actionis, interdum eam tantum comitatur consentiente voluntate suscepitam: prior efficax, posterior *concomitans* vocatur.

25. Ignorantiæ distinctio in *volunta-
riam* seu *affectatam*, & *involuntariam* cum distinctione in *vincibilem* & *invincibilem* ferè coincidit.

Ad §. 9.

26. Alterum actionum humanarum principium est *Voluntas*, quæ ad res intel-

36 CAP. I. DE ACTIONE HUMANA.

lectu vel sensibus oblatis sese movet, & vel intellectum, vel cetera corporis membra ad agendum impellit.

27. Est autem *Voluntas* propriè facultas appetendi bonum & aversandi malum.

28. Quemadmodum enim intellectus circa verum & falsum, ita voluntas circa bonum & malum versatur.

29. Et quemadmodum intellectus in cerebro, ita voluntas in corde operari videtur.

30. Tribuuntur Voluntati duæ affectiones; 1.) quod *sponre* agat; 2.) quod *libere* agat: Sed haec non tam voluntati, quam actioni à voluntate profectæ tribuenda sunt.

31. Scilicet *spontanea* dicitur actio, quæ à voluntate est imperata, sive voluntas se ipsam commoverit, sive aliunde commota fuerit.

32. *Libera* vero dicitur actio, quando voluntas ex pluribus objectis unum eligere vel actionem suspendere videtur, etiam si hoc necessario faciat, ac vi quadam ad istud faciendum impellatur.

33. Voluntas ipsa neque spontanea est neque libera, sed facultas necessaria, quæ oblatum bonum non potest non appetere,

re, & oblatum malum non potest non
aversari.

34. Hoc ut intelligatur, notandum,
voluntatem agere vel *inclinatione* connata,
vel *vi* externa excitatam.

35. Prius ubi fit, libera quidem est vo-
luntas à coactione, dum seipsum proprio
quasi motu ad agendum excitat: sed ta-
men eligendi facultate non gaudet.

36. *Vis* autem externa vel *amica* est vel
inimica: illa inclinationibus conveniens
est, atque adeo desiderium & spem excitat:
hæc inclinationibus adversa est, atque adeo
desiderio metum incutit.

37. Utraque vis efficit, ut nulla volun-
tati libertas relinquatur: dum utraque
eam cogit, ut eligat ea, quæ inclinationibus
congruunt, & respuat ea, quæ iisdem ad-
versantur.

Ad §. 10.

38. Nihilominus actiones spontaneæ
seu voluntariae utique dantur, licet volun-
tas ipsa neque spontanea neque libera re-
ctè dicatur, sed vel interna necessitate, vel
externa vi compulsa operetur.

Ad §. II.

39. Porro ingens datur volunta-

C 3 rum

tum varietas, quæ tamen ad tria capitâ rectè revocatur.

40. Scilicet tres sunt voluntatis *inclinationes* congenitæ: *Ambitio*, *Avaritia*, & *Voluptas*; quæ quidem naturâ pravæ sunt, sed tamen ex triplici amore sui ordinato prognatae.

41. Innatus enim cuilibet 1.) *Amor perfectionis* suæ, & hinc nascentis *existimatio-
nis*; 2.) *Amor durationis seu vite* suæ, & *mediorum* ad vitam honestè transigendam necessariorum, ac denique 3.) *amor in-
nocentis voluptatis*.

42. Sed cum depravatione quadam na-
turali voluntas laboret, cuius originem
ratio ignorat, tria philantia ordinatae gene-
ra in pessima vicia degenerarunt.

43. Istæ igitur voluntatis inclinationes
diverso se invicem ordine excipiunt, di-
versoque gradu mixtae sunt: unde infinita
animorum varietas enascitur.

44. Causæ varietatis vel *physice* sunt
vel *morales*: illæ in *Temperamento*, hæ in
Conformatione conspicuæ sunt.

Ad. §. 12.

45. *Temporamentum* partim ex diver-
sa sanguinis mixtura, partim ex diver-
sa partium solidiorum conformatione
con-

onstat: unde non solum diversus sanguinis motus, sed & diversæ animi propensiones emergunt.

46. Dantur autem quatuor Temperamentorum genera: scilicet *Cholericum*, *Melancholicum*, *Sanguineum*, & *Plegmaticum*.

47. *Cholericum* temperamentum subtiliori igneoque abundat sanguine, quippe sulphuris multum admixtum habente, qui adeo vehementiori celeriorique cursu per angustiores fibrarum poros penetrat, atque adeò consimiles animo motus ingerat, unde *Ambitio* exurgit.

48. *Melancholicum* temperamentum crassiori spissiorique laborat sanguine, quippe terrestribus particulis abundantem, quem difficulti lentoque per angustiores vias motu propellit, atque adeo tristiores in animo affectus excitat: unde sollicitudo, metus, *Avaritia* denique enascitur.

49. *Sanguineum* temperamentum vivaciori fluidiorique gaudet sanguine, quippe nec sulphuris, nec salis, nec seri copia admodum laborante, sed tamen ex singulis partem trahente, qui adeò faciliori latiorique cursu per patentiores meatus labitur: quo pacto animus exhilaratur, atque ad *Voluptatem* proclivis redditur.

50. *Phlegmaticum* temperamentum viscidiū sero sumque trahit sanguinem, qui lento frigidoque motu per vias apertas volvitur: unde & in animo torporac frigida quædam *άνθεια* existit.

51. Singula hæc temperamentorum genera vario iterum gradu ac ordine interset miscentur, atq; adeo varias inclinationum mixturas in animo producunt,

52. Sed & aliæ remotiores causæ accidunt, quæ ipsum temperamentum variè iterum mutant atque disponunt, v. g. cœli solique genius, indoles parentum, victus, ætas, valetudo,

Ad. §. 13.

53. Porro & *Consuetudinis* magna in voluntatem vis est, dum per crebriores ejusdem generis actiones voluntatem ad eas promptius lubentiusque subeundas procliviorem reddit.

54. Consuetudo autem vires accipit ab educatione, conversatione, cultura, vitæ genere, statu &c.

Ad. §. 14. 15.

55. Dantur & aliæ quædam causæ, quæ sicutem ad momentum voluntatem ad certas actiones inclinant, v. g. *affectus, morbi, ebrietas*, de quibus Autor hic.

56. Sed

56. Sed cum hæc omnia; inclinationes nimirum, temperamentum, consuetudo, affectus, morbi, ebrietas, propterea hic considerata fuerint, ut pateret, an actiones inde promanantes homini imputari queant: doctrina de imputatione prius exponenda, quam certi quid ea de re pronunciari queat.

Ad. §. 16.

57. Idem dicendum de distinctione Actionum in voluntarias & invitas: quippe quæ doctrinam de imputatione itidem respicit. Mixtae verò actiones, quas Autor addit, ad voluntarias referuntur, licet voluntas vi quadam inimica ad eas compulsa fuerit,

Ad §. 17.

58. *Imputare* igitur est, aliquem autrem actionis pronunciare, & effectum ejus eidem tribuere.

59. Nativa significatione hic terminus arithmeticus est, & in rationes referre significat.

60. Postea ad res morales translatus est, ubi itidem crediti & debiti quasi ratio habetur, quando actio ad autrem suum refertur, & effectus ejus eidem tribuitur.

42 CAP. I. 'DE ACTIONE HUMANA.

61. Locum habet imputatio potissimum, ubi de præmiis & pœnis, de damno dato, de promissis ac de beneficiis agitur.

62. Scilicet meritum præmii imputatur homini instar crediti, meritum pœnae instar debiti.

63. In materia damni damnum dans debitor, accipiens creditor est.

64. In promissis promittens instar debitoris est, is, cui promittitur, instar creditoris.

65. In beneficio præstans instar creditoris, qui accipit, instar debitoris est.

66. Imputare alicui actionem in præmium vel pœnam est, declarare eum, qui autor actionis fuit, præmio vel pœna dignum esse.

67. Imputare alicui damnum datum est, judicare, quod is, qui causa damni est, ad damni reparationem obligatus sit.

68. Imputare alicui promissum est, promittentem declarare debitorem, h. e. ad præstandum quod promisit: ubi vero præstitit, imputatur præstitutum eidem ad liberationem.

69. Imputare alicui beneficium est, pronunciare, quod accipiens præstanti obligatus sit ad gratitudinem.

70. Sed

70. Sed nemini imputari potest actio, nisi qui *autor* ejus est.

71. Est autem *Autor* actionis vel *caussa physica*, vel *caussa moralis*.

72. *Caussa physica* actionis est is, qui actionem perpetravit, sed non consensit.

73. *Caussa verò moralis* dicitur tum is, à cuius voluntate actio proficiscitur, tum is, qui voluntatem suam cum voluntate operantis conjunxit. Verbo: qui voluit, ut actio fieret, & qui consensit.

74. Voluisse verò & is censetur, qui omisit, quod facere poterat & debebat: unde etiam *culpa* seu omissio diligentia debita ad caussam moralem refertur, hominique imputatur.

Ad §. 27.

75. Poteſt igitur aliquis cauſſa moralis dici non ſolum actionis *propria*, h. e. qvam ipſe ſine auxilio alterius patravit; ſed etiam *aliena*, quam aliud quidem, ſed ipſo conſentiente, patravit.

76. Concurrit verò aliquis ad actionem alienam ut cauſſa moralis primò vel *faciendo* aliquid, vel *non faciendo*.

77. *Faciendo*, ubi jubet, conſenſum re quiritum adhibet, adjuvat, receptum præbet,

bet, de lucro participat, consilium dat, laudat, assentatur; quamvis nonnunquam haud satisexpeditum sit, an qui in factū aliquod alienum consensit, etiam in omnes illius facti circumstantias consenserit; sicut & diversus consentiendi modus tum ratione damni, tum promissi, tum delicti imputandi diversum producit effectum.

78. *Non faciendo*, ubi non vetat, opem non fert, non dissuadet, non manifestat, cum deberet,

79. Deinde etiam concurrit vel ut *causa primaria* seu *principalis*, vel ut *causa secundaria* seu *minus principalis*, vel ut *causa socialis*: quod ex circumstantiis facti jūdicandum.

80. Omnia verò hæc tūm in dāmno dato, tum in delictis seu meritis pœnarum atteruntur, quippe quorum gravitatem ejusmodi circumstantiæ vel augent vel minūnt.

81. Ceterū de utraque hac causa vallet regula: Quotiescumque & causa physica & causa moralis ad actionem concurrit, ordinariè *actio imputatur causæ morali* tantum; idquæ in omnibus imputationis casibus locum habet.

82. Quo-

82. Quotiescumque verò actio tantum à causa physica proficiscitur, toties imputatur etiam causæ physicae: modo imputationis casus talis non sit, ut necessariò animus agentis sit respiciendus, quod in omnibus reliquis casibus præter casum damnii dati usu vénit.

Ad §. 18.

83. Ex his jam facile est ad intelligentum, quænam homini non possint imputari: scilicet omnia ea, quorum homo nec causa physica est, nec causa moralis.

84. Specialiores regulæ, quæ apud Autorem habentur, respiciunt partim actiones alienas, partim actiones proprias.

85. De actionibus alienis agit. Rég. I. §. 18.

86. Quæ de actionibus vel rebus propriis agunt, iterum in quatuor classes distribui possunt.

87. Ad primam classem spectant, quæ voluntati nostræ non subjacent, de quibus R. II. §. 19.

88. Ad secundam classem pertinent actiones, quarum externa requisita nobis desunt, v. gr. occasio, vires, R. V. VI. §. 22. 23.

89. Ad

46 CAP. I. DE ACTIONE HUMANA.

89. Ad tertiam classem impedimenta intellectus referuntur, qualia sunt ignorantia, error, impeditus vel deficiens rationis usus, de quibus R. III. IV. IX. §. 20. 21. §. 25. 26.

90. In quarta classe denique impedimenta voluntatis, quae sunt coactio & metus. R. VII. §. 24.

91. Igitur I. Actiones ab alio patratae, ut & operationes quarumvis aliarum rerum, nec non quivis eventus, non possunt alteri imputari, nisi quatenus ille potest & tenetur istas moderari, vel quatenus ad illas aliás tanquam caussa moralis concurredit.

Ad §. 19.

92. II. Quae in quolibet homine sunt, vel non sunt, quae penes ipsum non fuit, ut adessent, vel non adessent, non possunt ipsis imputari, nisi quatenus debitam diligentiam in ejiciendis defectibus, & introducen- disperfectionibus non adhibuit.

93. Hinc patebit, quo usque inclinatio- nes naturales, temperamentum, consue- tudo, morbi, ebrietas, atque actiones inde promanantes homini imputari queant.

Ad §. 20. 21.

94. III. IV. Quae per ignorantiam aut er- rorem

rorem invincibilem & efficacem perpe-
trantur, non imputantur. Ubi verò igno-
rantia vel error tantum est concomitans
vel vincibilis, quorsum pertinet ignoran-
tia legum promulgatarum, ibi actio im-
putatur.

Ad §. 22.

95. V. Cui occasio agendi citra suam cul-
pam deest, illi non imputatur, quod non
egerit.

Ad §. 23.

96. VI. Quæ sunt ultra vires alicujus,
non imputantur; nisi quatenus quis in
causa est, ut ea impossibilia sint facta.

Ad §. 24.

97. VII. Quæ quis coactus agit aut pa-
titur, non imputantur.

98. VIII. Quæ quis gravi metu inductus
agit, imputantur quidem ad præstandum
promissum, non verò in poenam; si metus
respectu inferentis fuerit justus: si verò
fuerit injustus, non imputantur in præ-
standum promissum, attamen in pœ-
nam.

Ad §. 25.

99. IX. Actiones hominum rationis
usu carentium ipsis quidem non imputan-
tur

tur in poenam, vel præstandum promisum, bene verò in reparationem damni.

Ad §. 26.

100. X. Quæ perpetrantur in somno vel somniis, in foro humano rarissimè imputantur; nisi culpa præcesserit: quia usus rationis in somno cessat.

CAPUT II.

De Norma Actionum Humanarum seu de Lege.

Ad. §. i.

i.

Necessaria est homini *norma*, juxta quam actiones componat, non propter præstantiam, sed propter multimodas ejus imperfectiones.

2. *Quia enim* diversæ sunt hominum voluntates, quæ ad prava maximè inclinant, non solum suam quisque felicitatem, sed & ceterorum impediturus esset, nisi normæ præscripto voluntates & actiones in ordinem redigerentur.

3. *Quemadmodum* verò voluntas vel per vim amicam, vel per inimicam flectitur,

tur; ita norma est vel svadens vel cogens: illa in *consiliis*, hæc in *legibus* conspicua est. Et posterior quidem huc maxime pertinet.

Ad §. 2.

4. Est autem *Lex* norma ab imperante præscripta, subjectos metu pœnæ ad certas actiones obligans, certas vero permittens.

5. Igitur omnis lex duplum continent vim, *permisſuam* scilicet & *preceptivam*: per illam declaratur, quid homini liceat, per hanc quid fieri vel non fieri oporteat.

Ad §. 3.

6. Illius effectus est *Potestas* vel *Jus*: hujus vero *Obligatio*. Ultriusque definitio superius tradita.

Ad §. 4.

7. Subjectum Obligationis capax est solus homo: (1) quia Intellectu gaudet, ut normam cognoscere queat. (2) quia voluntatem habet per spem & metum flexilem. (3) quia non solum imperio divino subjectus est, sed etiam humano se subjicerre potest.

Ad §. 5.

8. Caussa obligationis efficiens est Imperans. Ad justum autem Imperium duo requiruntur: (1) Justæ imperandi caußæ, (2) vires sufficientes subjectos cogendi.

9. Competit vero Imperium vel *Deo*, vel *hominibus*.

10. Respectu DEI justæ imperii caussæ sunt creatio & conservatio: respectu *hominum* vero & imperantis & subditorum consensus.

Ad §. 6.

11. Cum vero nemo obligari queat ad ea, quæ ignorat, non solum Legislatoris, sed etiam legis ipsius notitia requiritur.

12. Utriusque notitia in jure naturæ ex natura ipsa: in jure civili verò ex promulgatione hauritur.

Ad §. 7.

13. Partes Legis sunt duæ: *Sententia legis*, qua difinitur, quid fieri vel non fieri debeat; & *Sanctio pœnalis*, qua necessitas observandæ legis subjectis imponitur.

Ad §. 8.

14. Officia legibus injuncta non solum possibilia debent esse, sed etiam utilia: quia de rebus impossibilibus & inutilibus frustra leges feruntur.

Ad §. 9.

15. Et si autem obligatio legis ordinariè est universalis, ad omnes se se subditos extendens: tamen nonnulli saepè eximuntur, idque per *dispensationem* & *privilegia*.

16. Sci-

16. Scilicet *Dispensatio* est exemptio personæ alicujus ab obligatione legis qvoad certum aliquem actum lege præceptum vel prohibitum.

17. *Privilegium* est species dispensationis ad plures actus sese extendens, seu est dispensatio continuata. Sumitur autem vel pro actu jus singulare concedente, atque sic vim legis habet; vel pro effectu seu jure singulari, quod conceditur.

Ad §. 10.

18. Sæpe lex universalis videtur quod ad verba, quæ tamen ex mente autoris quod ad certos casus restringenda.

19. Id quod *Æquitas* vulgo vocatur, quæ hoc sensu nihil aliud est, quam Interpretatio restrictiva, declarans, casus nonnullos ex mente Legislatoris sub lege non contineri: licet secundum verba sub eadem contineri videantur. Sed hæc non nisi ad leges positivas proprias spectat.

Ad §. 11.

20. Respectu legis Actiones sunt vel *lícite*, quæ vel expresse concessæ, vel saltem non prohibitæ; vel *necessarie*, quæ vel præceptæ vel prohibitæ: atque hæc iterum vel *bona* vel *mala*; itemque *justæ* vel *injustæ*.
Vid. Autor. h.

Ad §. 12. & 13.

21. Recte h. l. *Justitia actionum* distinguitur à *Justitia personarum*. Illa enim est virtus, quæ ab Imperatore definitur *consilans & perpetua &c.* Inst. pr. de justit. & jure.

22. *Hac vero est convenientia actionum cum legibus, & quidem in specie cum regulis justi.*

Ad §. 14.

23. Videtur Autor *justitiam universalem* ita accipere, ut omnia officia erga alios complectatur, sive ex regulis decori, sive ex regulis justi fluant.

24. *Particularis vero justitia ex mente Autoris non nisi ad officia justi spectat.*

25. Dividitur hæc iterum vulgo in *distributivam & commutativam*: illa proportionem inter personas, hæc inter res observat. Sed hæc distinctio exiguum habet usum.

Ad §. 15.

26. *Actione injusta* est, quæ à legibus, in specie à regulis justi aberrat.

27. Læditur autem aliquis per actionem injustam vel *dolo*, seu destinato consilio, vel *culpa*, seu per errorem ac negligentiam. Illud ubi fit, *Injuria* vocatur.

28. Cul-

28. *Culpa in latam, levem & levissimam*
distinguitur: *Lata* est omissio diligentiae
communis; *Levis* omissio diligentiae me-
diocris; *Levissima*, omissio diligentiae ex-
actissimae.

Ad §. I6.

29. De distinctione Legis in *Divinam* &
humana, item in *naturalem* & *positivam*
v. Cap. I. præliminare.

CAPUT III.

De Lege Naturali.

Ad §. I - 9.

I.

LEx naturæ ex natura ipsa, humana
scilicet, cognoscitur: sed methodus
ac ratio investigandi legem naturæ
apud Doctores diversa est.

2. Omnis labor circa principium legum
naturalium occupatur: videndum igitur,
quomodo principium comparatum esse
debeat, ut judicari possit, quinam acu istud
tetigerint, quinam longius ab eodem ab-
erraverint.

3. Scilicet *Principium est propositio ge-*

D 3 nera-

neralissima & evidentissima, quæ omnium primo facillimeque cognoscitur, & ex qua omnes reliquæ propositiones vel regulæ ejusdem disciplinæ patescunt.

4. Facile autem liquet, non de principio *essendi* sermonem esse, seu caussa, à qua originem leges naturæ trahunt: sed de principio *cognoscendi*, seu propositione, ex qua reliquæ cognoscuntur.

5. Ejusmodi igitur principium his requisitis gaudeat oportet: ut (1) sit *unicum*, (2) *primum*, (3) *verum*, (4) *evidens*, (5) *adæquatum*.

6. Jam varias de principio juris naturæ sententias spectemus, quæ in septem classes forte distribui poterunt, easdemque juxta amusim jam positam examinemus.

7. In prima classe collocandi, qui vel *legem DEI eternam*, h. e. *sanctitatem & justitiam DEI voluntatem ejus antecedentem*, cum *Scholasticis*, vel, quod eodem ferme recidit, *conformationem creature rationalis cum Creatore*, seu *assimilationem DEI*, cum *Zentgravio*, generalissimam omnium actionum humanarum normam constituunt; obscuram certe, nec adæquatam, nec omni ex parte veram.

8. Secundam classem constituent, qui vel

vel ex statu integratⁱs, ut B. Alberti, Medi-
vius & Seckendorffius, vel ex p^rceptis Noa-
chicis, ut Seldenus, vel ex Decalogo, ut P^bilo
judæus, itemque Calixtus & Bœclerus, vel
ex lege & evangeli^o, ut P^rasibius, vel ex vo-
luntate DEI, ut ill. Coccejus, jus naturæ de-
rivandum ducunt : qui tamen omnes prin-
cipium vel inadæquatum, vel rationi igno-
rum, vel multiplex pro uno, nobis ven-
ditant.

9. Tertiam classem implebunt, qui vel
ad dictamen recte rationis seu amore*m*
intellectualem cum Strimesio, vel ad notitias
infatas cum Melanchthon^e, Gvil. Grotio &
Scharrockio, vel ad instinctum naturalem
cum Cicerone & plurimis Scholasticis, vel
ad naturam seu convenientiam naturæ cum
Stoicis, vel ad actus, quos natura omnia ani-
malia docuit cum J^cts Romanis, Ilipiano,
Triboniano, vel ad finem nature humanae
cum Pritio, vel ad finem mundi cum Lam-
berto Veltbusio, vel ad ordinem mundi, cum
D. Bodino in demonstrandis juris naturæ
p^rceptis provocant, nec perspicuum, nec
adæquatum, nec prorsus verum principi-
um commendantes.

10. Ad quartam classem referendi, qui
vel amore*m* cultum DEI, ut Nitschius,

vel pium sincerumque amorem in Deum &
homines, ut *Bened. Wincklerus*, vel benevo-
lentiam universalem, ut *Cumberlandus*, vel
tria ista, *Deum cole, temperanter vive, so-*
cialiter vive, ut *D. Buddeus*, vel naturam re-
ligiosam, *sui amantem, & socialem*, ut *B. Ti-*
tius, vel ista *Triboniani*, *boneste vive, nemini-*
nem lede, suum cuique tribue, vel studium pa-
cis & pacis, ut *Hobbesius*, fundamenti loco
ponunt, sed nec unicum, nec primum, nec
evidens, nec adæquatum principium con-
stituunt.

II. Quinta classis eos sistit, qui *conse-
su gentium moratorum* tanquam princi-
pio, cum *Peripateticis & Grotio*, nituntur,
quod quam infirmum & ambiguum sit,
quilibet perspicit.

12. Ad sextam classem pertinent, qui
utilitatem singulorum privatam vel *studium
salutis proprie* principii loco commen-
dant, quorum prius *Epicuro, Carneadi, &
Cyrenaicis*, posterius *Hobbesio* tribuitur:
sed nec verum, nec adæquatum istud prin-
cipium erit.

13. Septima denique classis *Socialitatis*
patronos repräsentat, quorum principes,
*Cicero, Grotius, Pufendorffius, & antehac
etiam Ill, Thomasius*, merito censiendi: at-
que

que hoc principium cum sit Autoris nostri, curatius pensitare juvabit.

14. Scilicet hanc fundamentalem naturæ legem *Pufendorffius* noster statuit: *Colendam homini esse societatem, seu, hominem debere socialem esse.* v. §. 7. 9.

15. Hanc vero ex ipsa hominis natura demonstrare conatur, quod utique laudandum: adeoque ex humanæ naturæ indole sequentes elicit propositiones:

16. Homo (1) se ipsum amat seque conservare cupit §. 2. (2) citra aliorum auxilium est miser. (3) ad mutua commoda promovenda aptus §. 3. (4) ad nocendum proclivis §. 4. & idoneus §. 5. (5) varius & mutabilis §. 6.

17. Ex his vero propositionibus societas colendæ colligit necessitatem.

18. Evidem taxatur hæc colligendi ratio ab aliis, existimantibus, (1) non sequi exinde, hominis naturam esse socialem, sed potius contrarium, scilicet eandem à societate colenda maximè abhorrente. (2) Si vero tantum societatis colendæ necessitas ex affectionibus allatis demonstretur, ultimum juris naturalis fundamentum constitui utilitatem privatam.

19. At vero quod ad primum attinet,
D 5 Au-

Autor neutquam voluit demonstrare, naturam hominis esse socialem, sed necessum esse, ut sit socialis, si salvus esse velit: id quod ex §. 7. clarissime liquet.

20. Scilicet mens Autoris & inferendi ratio haud dubie hæc est: Omnes homines sese conservare student, seu felicitatem suam quærunt: hanc vero citra aliorum auxilium promovere non possunt. Alij possunt eam promovere, sed possunt etiam eam impedire; imo sæpe volunt, quia mali sunt & mutabiles.

21. Ergo homo erga hominem ita sese gerat, necesse est, ut alter alterius felicitatem non impedire, sed promovere velit, h. e. *sit socialis*.

22. Duo igitur Socialitatis custodia includit: (1) *Pacem* esse colendam, h. e. felicitatem alterius ab altero non esse impediendam. (2) *Amicitiam* esse colendam, h. e. felicitatem alterius ab altero esse promovendam.

23. Falsum vero est, utilitatem privatam hoc pacto fundamentum juris naturæ constitui. Utilitas enim privata est, quæ utilitati communi opponitur. Jam vero dum pax & amicitia colitur, non solum singulorum, sed etiam universorum felicitas seu utilitas promovetur.

24.

24. Felicitatem vero humanam in jure naturæ fundamenti loco collocare, neutrum absurdum est, ut ex sequentibus patet.

25. Hoc tamen in Autoris principio adhuc desiderandum, (1) quod istud nondum ita evidens sit, ut non aliquod evidenter posse inveniri. (2) Quod non sit adæquatum, dum ex eo duntaxat officia erga alios, non vero erga Deum & seipsum commode deduci queant. v. §. ult.

26. Evidem ansam Autori præbuit *Grotius*, qui cum jus belli & pacis scribere vellet, ex quo controversiæ Principum decidi possent, officia erga alios tantum respiciebat, quæ ex socialitate utique deduci poterant, atque adeo socialitas ejusdem instituto sufficiebat.

27. At cum Autor integrām juris naturæ doctrinā exhaustire vellet, omnino latius principium erat quærendum.

28. Puto, rem fore expeditam, si, quod finis est omnium actionum humanarum, etiam principii loco ponatur.

29. Scilicet hoc agunt omnes, tam stulti quam sapientes, in hoc omne suum studium, omnem curam atque industriam, mentem denique omnem fixam atque colloca-

locatam habent, ut sint felices. Etiam Deus pro summa bonitate sua hoc vult, ut homines sint felices.

30. Igitur summa legum naturalium, cordibus hominum à Deo inscriptarum, hæc est: *Fac ea, que vitam humanaam redundunt felicissimam.* Seu ut alii enunciant: *Salus hominum suprema lex esto.*

31. Est hoc principium verissimum pariter ac evidenter; quippe quod non solum stultis, sed etiam sapientibus probatur, & cuilibet saltem levius humanam naturam intuenti patescit. Deinde & adæquatum est, cum omnes sapientia regulæ prona quasi via inde ducantur.

32. Scilicet primum hoc & generalissimum juris naturæ principium tria iterum alia, in suo genere prima, ambitu suo complectitur, quæ principia *bonesti*, *decori* & *justi* superius appellavimus, quæque pro diversa felicitatis humanæ ratione ab invicem differunt.

33. Principium igitur *bonesti* est: *Fac ea, que felicitatem tuam internam, cum primis tranquillitatem animi, promovent.*

34. Principium *decori*: *Fac ea, que amicitiam conciliant.*

35. Principium *justi*: *Fac ea, que pacem*

& tranquillitatem societatis humanae conservant.

36. Singula hæc principia singulis iterum disciplinis fundamenta præbent, quales sunt: *Ethica, doctrina decori, atque Jus naturæ strictius dictum:* quippe quarum disciplinarum conclusiones omnes ex his principiis derivantur.

37. Quo pacto vero deriventur, ex sequentibus capitibus, ubi de officiis erga Deum, erga nos ipsos, & erga alios homines agemus, quodammodo elucebit.

Ad §. 10.

38. Præcepta juris naturæ ex his principiis deducta non per modum consilii, sed præcepti obligare, ex eo manifestum est, quod non à pari, sed à superiori præscripta sunt, DEO nempe, cui non solum iustum in homines imperium competit, sed etiam sufficientes sunt vires, eos ad obsequium compellendi.

Ad §. 11.

39. Esse autem Deum Legum naturalium Autorem, porro inde patet, quod Deus humanæ quoque naturæ Autor est, ex qua leges naturales deducuntur. *Quisquis enim naturam humanam felicitatis suæ cupidam condidit, is voluit etiam omnia*

omnia ea ab hominibus fieri, quæ felicitatem eorum promoverent, ea vero omitti, quæ eandem impedirent.

Ad. §. 12.

40. Hinc etiam liquet, quomodo lex naturæ naturâ nota dicatur, scilicet, quod fundamenta ejus in natura humana recondita sunt, ex qua ope sanæ rationis eruntur.

Ad. §. 13.

41. Jam non opus erit officia erga Deum & seipsum ex socialitate deducere, quippe quod non nisi indirecte fieri potest, cum ex principiis supra positis rectius accommodius deducantur.

CAPUT IV.

De Officio hominis erga Deum, seu de Religione naturali.

Ad. §. 1-5.

I.

Religio rationem colendi Deum denotat.

2. Estque vel *naturalis*, quæ ex lumine

mine rationis; vel *revelata*, quæ ex speciali DEI revelatione cognoscitur.

3. Partes Religionis naturalis sunt *notitia DEI* & *cultus*.

4. *Notitia DEI* ad jus naturale non spectat, sed ad peculiarem disciplinam, quæ *Theologia naturalis* appellatur.

5. *Notitia* enim est actus intellectus veritatis de DEO speculantis.

6. Jus naturæ vero leges non intellectui, sed voluntati præscribit.

7. Veritates enim vel opiniones intellectus legibus non subjacent, neque præmiis vel poenis corriguntur.

8. Nihilominus tamen vera DEI notitia in jure naturæ necessario præsupponitur.

9. Quoniam Deum, quem ignoramus, neutquam recte colimus.

Ad §. 6.

10. *Cultus* igitur officiis erga DEUM constat: Estque vel *internus* vel *externus*.

11. *Ille* ex regulis honesti, *bis* ex regulis decori fluit.

12. Siquidem nemo vera felicitate, veraque animi tranquillitate gaudere potest, nisi qui optimum & potentissimum Numen amicum habet.

13. Amandus igitur est DEUS, ut & nos ab ipso amemur.

14. Cum.

14. Cum enim Deus sit optimus & felicitatis humanæ cupidissimus, non potest non amare ipsum amantes, ac felicitatem eorum promovere.

15. Consistit igitur *internus cultus* in amore DEI rationabili, cum DEO per intellectum pariter ac voluntatem nos uniente. Alio vocabulo *Pietas*, nonnunquam & *Devotio* salutatur.

16. Hic autem amor & *venerationem*, & *timorem*, & *fiduciam*, & *obedientiam* DEI complectitur.

17. *Venerationem* : propter summam DEI perfectionem & excellentiam.

18. *Timorem* : propter summam ejus potentiam cum pari justitia conjunctam.

19. *Fiduciam* : propter summam bonitatem & felicitatis humanæ cupiditatem cum omnipotentia conjunctam.

20. *Obedientiam* denique : propter iustissimum DEI in homines imperium, legumque divinarum necessitatem pariter ac utilitatem.

Ad §. 7.

21. *Externus cultus* interni documentum & significatio est.

22. Consistit igitur in signis externis, nimirum verbis, gestibus, factis, internam vene-

venerationem, timorem, fiduciam, obedientiam declarantibus.

23. Et cum signa ejusmodi vel naturalia sint vel arbitraria: hinc cultus externus in *communem* & *specialem* dispescitur, quorum ille naturalibus, hic vero arbitrariis signis constat;

24. Cultus igitur *communis* fere precatiōnibus, laudibus, gratiarum actionibus, consideratio de DEO sermone, itemque gestibus ad devotionem compositis, nec non obedientia *externa* absolvitur.

25. Cultus vero *specialis* ad certos ritus ac ceremonias, cum primis ad certum tempus & locum ex arbitrio DEI vel hominum alligatus est.

26. Sed de *cultus externi necessitate* inter doctos disputatur, & an ratio sibi relictā eandem cognoscat, disquiritur.

27. Ego, quid respectu DEI, quid respectu hominis ipsius, & quid respectu aliorum hominum fieri debeat, probe discernendum puto.

28. Scilicet respectu DEI ratio nullam cultus externi necessitatem videt: quia DEUS est scrutator cordium, cui non opus est interna animi sensa per externa signa revelari.

29. Respectu hominis ipsius Deum co-
lentis non solum utilis, sed fere inevitabi-
lis est quædam cultus externi species: ob
arctissimum animæ & corporis nexum, &
facillimum interni affectus per externos
gestus aliave signa indicium.

30. Respectu aliorum hominum itidem
utilis & decorus est externus cultus: ut de
pietate mea persuasi homines & amicitia
& consortio suo tanto lubentius me di-
gnentur.

Ad §. 8.

31. Id etiam quæritur: an Religio natu-
ralis ad felicitatem hujus & futuræ vitæ suf-
ficiat?

32. Rsp. Si Religio naturalis perfecta foret
atque omnibus numeris absoluta, quæstio-
nem affirmandam censem.

33. Sed cum & notitia & amor DEI, &
cum primitis obedientia, Legibus DEI natu-
ralibus debita, maximâ imperfectione la-
boret; quippe quod ipse sensus & experi-
entia nos admonet:

34. Hinc nemo sola Religione naturali
fretus de amicitia DEI certior esse, perfe-
cta que animi tranquillitate gaudere po-
terit.

35. Facile enim colligimus, multimoda-

le-

legum Divinarum transgressiones, ex pravis cupiditatibus nostris enatas, non amicitiam DEI & felicitatem, sed potius odium & poenas seu infelicitatem promereri.

36. Hinc etiam, quarendam religionem revelatam, quae remedia tantis malis poenisque promeritis afferat, amicitiamque Divinam, & certam felicitatis perpetuae spem nobis conciliet, haud difficulter intelligimus.

Ad §. 9.

37. Quodsi jam de usu Religionis naturalis queratur: hodie duplex statuendus.

38. Primum in manuductione ad Religionem revelatam cernitur, quippe cuius necessitas ex Religionis naturalis imperfectione paretur.

39. Secundus ejus usus in promovenda Societatis humanæ felicitate conspicuus est.

40. Siquidem qui Deum amat, & homines alios amabit: & qui Deum timet, etiam à lædendis aliis abstinebit.

41. Et quamvis imperfectus sit hic amor timorque DEI, tamen melius. etiam per hunc imperfectum amorem atque timorem humano generi consulitur, quam si prorsus abcesset.

42. Remoto enim amore timoreque
Numinis nec amicitia nec pax satis firma
atque stabilis inter homines erit.

43. Opposita Religioni sunt: *Impietas,*
Hypocrisia, Supersticio, Atheismus.

44. *Impietas* est absentia amoris erga
DEUM cum affectuum actionumque prae-
vitate conjuncta. *Estque vel aperta vel
occulta.*

45. *Hypocrisia* vel impietatem occultam,
vel pietatem imaginariam denotat.

46. Priori sensu hypocrita est, qui spe-
ciem quidem pietatis externe & coram his
minibus præ se fert, sed internè & clam
affectibus ambitionis, avaritiae & volupta-
tis indulget, atque à vero DEI amore alie-
nus est; etiam si sëpissimè de DEO loqui-
tur, atque cultus externi observantissimus
est.

47. Posteriori sensu hypocritæ dicun-
tur, qui crassiores quidem cupidatum ex-
cessus evitant, sed tamen subtiliori ambi-
tione, avaritia vel voluptate laborant, at-
que dum Deum amare credunt, amore erga
homines destituuntur, quin fastu con-
temnuque aliorum sëpe pietatem, quam-
præ se ferunt, sibique imaginantur, con-
taminant.

48. Su-

48. *Supersticio* est stultitia, quæ Deum quidem credit, sed talia sibi de DEO persuadet, quæ Divinæ perfectioni sunt contraria, & vel illud tanquam Deum aut rem divinam timet ac veneratur, quod Deus aut res divina non est, vel cultum internum negligit, ac de externis ritibus & ceremoniis est sollicitus.

49. *Atheismus* est vel *speculativus* vel *practicus*.

50. *Atheismus speculativus* est stultitia ex nimia intellectus subtilitate plerumque orta; dum homo erroneè arbitratur, se in intellectu percipere, nullum esse Deum h. c. mundum visibilem non productum esse à potentia invisibili, infinita & sapiente, neque ab ea sapienter conservari, sed omnia fieri casu & necessariò.

51. Ejusmodi igitur Athei, cum nec Deum nec providentiam dari credant, neque cultum Divinum necessarium existimant: quamvis fieri possit, ut cetera honeste & tranquille in societate vivant.

52. Cum vero pauci subtilissimis hujusmodi sp̄eculationibus sint apti: forte pauci dantur Athei speculativi.

53. Quin multos, à communī Scholasticorum placitis recedentes Atheismi falso

suspiciōs esse redditos, haud vane suspicari licet.

54. *Atheismus* verò *practicus* est vitium voluntatis, dum homo Deum ore quidem profitetur, sed corde & opere abnegat.

55. Si jam quæratur, *Atheismus* an *Supersticio* deterior sit, majoraque generi humano nocumenta afferat: utraque quidem pessima mentis humanæ depravatio est.

56. Nihilominus sunt, qui superstitionem atheismo deteriorem, magisque societatem humanam turbare credunt.

57. Ceterum hoc affirmaverim, pœnis Atheum, quamdiu tranquille vivit, juste haud affici: quoniam Atheismus speculativus error intellectus est; errores vero intellectus legibus & pœnis corrigi nequeunt.

CAPUT V.

De Officiis hominis erga seipsum.

I.

Hoc capite partim regulæ *bonelli* & *decori*, partim regulæ *justi* continentur.

2. Ad

2. Ad regulas *honesti* & *decori* spectant officia hominis erga seipsum, quæ ex amore sui rationabili fluunt §. 1-9.

3. Ad regulas *justi* vero referenda illa juris connati species, quæ circa conservationem & defensionem sui occupata est. §. 10. seqq. ad finem.

Ad. §. 1.

4. *Amor sui* in desiderio promovendi vel conservandi felicitatem suam positus est.

5. Cum vero felicitas sit vel vera vel apparentis, hinc datur amor sui rationabilis & irrationalis, seu philavtia sana & mala sana.

6. Ad amorem sui homo non tam obligatur, quam instinctu quodam naturali impellitur.

7. Sed obligatur tamen ad amorem sui rationabilem.

8. Obligatur vero partim ex regulis honesti, partim ex regulis decori.

9. Ex regulis honesti: quoniam per amorem irrationalis felicitatem, quam querit, cum primis tranquillitatem animi, amittit.

10. Ex regulis decori: quoniam per amorem sui irrationalis ineptum se reddit

ad felicitatem aliorum promovendam,
amicitiamque colendam.

ii. Tradenda igitur hoc capite præcepta
vel potius cautelæ de fugiendo amore sui
irrationabili.

Ad §. 2.

12. Est autem amor sui triplex: *amor per-
fectionis*, & hinc nascentis existimationis;
amor durationis suæ, & mediorum ad con-
servatiōnēm sui necessariorum; ac denique
amor voluptatis sue.

13. Perfectio est vel *animi*, vel *corporis*:
ad illam *sapientia* & *virtus*; ad hanc vero
sanitas, *integritas*, *robur* ac *pulchritudo* re-
feruntur.

14. Sapientia partim in vera rerum no-
ticia, partim in genuino rerum usu con-
sistit.

15. Virtus vero rectitudine voluntatis at-
que affectuum æquilibrio constat.

16. Obligatur igitur homo ad culturam
animi h. e. emendationem intellectus &
voluntatis: ut sapientiam & virtutem ac-
quirat.

17. Quoniam hoc pacto perfectior, &
ad felicitatem suam & aliorum promovē-
dam aptior redditur.

Ad

Ad. §. 3.

18. Ad sapientiam primo omnium spectat vera *DEI notitia*, cui adeò sapientiae studiosus utique operam dare debet.

19. Sed ad hanc vel illam de DEO rebusque divinis opinionem amplectendam vel rejiciendam per leges naturales non obligatur, nisi de veritate vel falsitate opinio-
nis convictus sit.

Ad §. 4.

20. Cum vero haud ultima sapientiae pars sit *notitia sui*: obligatur etiam homo, ut seipsum & vires suas ritè exploret, ijsdemque ad felicitatem suam & aliorum promovendam ritè utatur.

Ad verba: Deinde se probè.

21. Ex eadem ratione & prudentiae opera navanda, quantum ea diligentia humana comparari potest.

22. Sed prudentiae regulæ, quarum non nullæ ab Autore afferuntur, non ad jus naturæ, sed peculiarem disciplinam pertinent.

Ad §. 5.

23. Ex perfectione ac præstantia nascitur *existimatio*, fama, laus, honor & gloria.

24. Hæc omnia appetere non quidem sa-
næ rationi adversum videtur: sed tamen

E 5 caven-

cavendum, ne cum detimento internæ tranquillitatis, aut cum injuria contemtumque aliorum fiat. Igitur sequentia hic observanda officia.

25. Omnia maxime opinio boni viri conservanda, eaque per calumniam aliorum læsa, quantum fieri potest, nitori suo restituenda.

26. Fama & laus nec temere affectanda nec temere rejicienda, sed factis præclaris & generi humano utilibus solum promerenda.

27. Idem de honore dicendum, qui nec plane fugiendus, nec anxie aut illegitimis modis querendus, ubi vero contigerit, ad beneficiendum aliis adhibendus.

28. Ab arrogantia vero & vana gloria, præprimis de rebus inanibus, abstinentium

29. Multominus cum contemtu aliorum sese extollere oportet, fastusque & superbia plane fugienda.

30. Denique sua sorte contentum esse decet, & si occasio deficiat præstantiam suam exerendi, æquo animo hoc farendum est.

Ad verba: *Opes etiam.*

31. Hæc ad alterum philavtiæ rationabilis

lis genus, nempe amorem durationis seu vitæ suæ, spectant. Scilicet media vitam conservandi sunt *opæ*, in quibus adeo comparandis innocentem industriam colloquere amor vitæ rationabilis jubet.

32. Sed regulæ honesti etiam jubent, ut in parandis pariter ac erogandis opibus modum teneamus.

33. Ut paucis contenti simus, nec divitias anxiè corradamus, nec tamen si contigerint, temere rejiciamus, aut dissipemus.

34. Partis vero tanquam subsidiis necessitatis propriæ & beneficiandi aliis honeste & decore utamur.

35. Denique animum adsvefaciamus, ne amissis opibus concidat.

Ad §. 6.

36. Tertia philavtiæ rationabilis pars est *voluptatis* amor seu appetitus, quem animis hominum utique natura ingeneravit, sed regulis honesti & decori eundem attemperare simul præcepit.

Ad verba: Tandem & circa id &c.

37. Ad emendationem voluntatis cum primis spectat *Affectuum moderamen*, unde virtus enascitur, in qua maxima hominis perfectio conspicua est.

38. Huic igitur maxime opera danda:
quo-

quoniam non exigua est imperfectio, affectibus succumbere, quæ & tranquillitati animi prorsus adversa est.

Ad §. 7.

39. Ex obligatione ad culturam animi etiam hoc sequitur, colenda esse homini litterarum artium & humano generi utilium studia, eaque perdiscenda, quibus suam & aliorum felicitatem promovere queat.

Ad §. 8.

40. Denique corporis imperfectiones, quantum licet, avertendæ; non tamen plus corpori, quam animo tribuendum.

Ad §. 9.

41. Amor durationis ac vite cuilibet innatus est: nec quisquam sanæ mentis temere vitam sibi eripiet.

42. Avtochir igitur nunquam sanæ mentis est: peccat tamen contra regulas honesti & decori; quoniam avtochiria turbati & affectibus indulgentis animi indicium est.

43. At probabilem vitæ brevioris occasionem, aliis inserviendi studio eligere, vel mortis periculum subire, regulis honesti & decori neutiquam adversum est.

44. Quamvis mortem pro aliis oppere nec præcipiant, nec etiam vetent.

Ad. § 10. II.

45. Cuivis homini naturæ beneficio competit *jus sese conservandi*, omniaque media ad conservationem sui necessaria, quantum citra læsionem aliorum fieri potest, adhibendi. *Quæ ad eō prima Juris connati species est.*

46. Est autem se conservare, efficere, ne vel anima vel corpus, vel vita, vel bona ad vitam honestè & decorè transigendam necessaria destruantur.

47. Fundamentum hujus juris est, quod homo, si vel ipse, vel bona ejus sive in totum, sive ex parte destruantur, neutiquam felicitate sua perfrui perfectè queat.

48. Cum jure sese conservandi etiam conjunctum est *jus se suaque adversus vim aliorum iustitiam defendendi*.

49. Quo jure enim licet media ad conservationem sui necessaria adhibere, eodem & impedimenta conservationis licet removere.

Ad §. 12.

50. Sed cautè illud exercendum, semperque quid regulæ honesti & decori, quid regulæ prudentiæ syadeant, respiciendum: unde

unde & moderamen *inculpata tutela* appellatur.

51. Hinc tutiora prius remedia tentanda, & levis injuria potius perferenda, quamvis etiam justa intempestivè opponenda.

52. Quamvis hos defensionis limites exceedens ob concomitantem animi perturbationem merito excusandus sit.

Ad. §. 13.

53. Cum primis *statu naturali* & *civilis* circa defensionem sui distinguendus, & non solum ipsius injuriæ inferendæ, sed etiam temporis à quo, itemque duratio, nis ratio habenda.

54. Qui in *statu naturali* vivunt, quamcunque injuriam etiam minima violenter, & si aliter eam evadere nequeant, etiam cum internecione adversarii repellere juste possunt. Ratio ex prima juris regula atque dictis ad §. 10. & 11. patet.

Ad. §. 14.

55. At in *statu civili* jus hoc se ipsum defendendi in dubio hactenus videtur restrictum, ut tantum liceat vitam, aut aliud irreparabile bonum ita defendere.

56. In omnibus enim casibus, ubi nulla reparatio damni à judice sperari potest, defensio sui suorumque violenta est licita.

Ad

Ad §. 15. & 16.

57. Non prius verò eadem suscipi debet, quam liquido constet, alterum jam in eo esse, ut vim vitæ nostræ, aut bonis irreparabilibus inferat, nec ulla spes aut occasio elabendi, damnique reparandi affulgeat. Idque in statu naturali pariter ac civili locum habet.

58. Denique in civitate defensio durat, usque dum periculum injuriæ inferenda evasum.

59. At in statu naturali licebit etiam de injuria non amplius inferenda cautionem exigere, & invasorem in eum statum redigere, ut mihi non amplius nocere queat.

60. Ex his principiis quæstiones dubiæ facile deciduntur ; speciminis loco erunt sequentes :

61. An hostem vim parantem prævenire liceat ? Rsp. Aff. Si constet, eum circa vim inferendam jam occupari : quo casu primum iustum expectare non obligor.

62. An ex metu increcentis potentia alterum invadere liceat ? Neg. fed tantum defensionis subsidia comparare : quia tantum defendere licet, non vero prius invadere.

Ad

Ad §. 17.

63. An defensio suscipi possit contra eum, qui per errorem me invasit? Aff. quia non respicitur animus lædentis, sed læsionis aversio.

Ad §. 18.

64. An ad fugam præcise obligatus sim? Neg. nisi per fugam periculum tuto evadere liceat.

65. An duella sint licita? N. Si ad vindictam tendant; Si vero ad reparationem damni tendant, in statu quidem naturali injusta non sunt; bene vero in statu civili, ubi reparatio damni per judicem haberi potest.

Ad §. 19.

66. An contra vulnerability & mutilationem membrorum defensio violentia sit licita? Aff. quia & hoc casu damnum irreparabile metuendum.

Ad §. 20.

67. An & pudicitia cum internecione invasoris defendi queat? Aff. ex eadem ratione.

Ad §. 21.

68. An res quoque cum cæde raptoris tueri liceat? Aff. in statu naturali, neg. in statu civili, modò raptor in judicium adduci possit.

Ad

Ad §. 22.

69. An & invasor beneficio defensionis gaudere queat? Aff. si invasus pœnitentia ipsius & præstita cautione acquiescere nolit.

Ad §. 23. &c seqq.

70. Jus sese conservandi eousque se extendit, ut in casu necessitatis etiam liceat contra jus agere: modo medium se conservandi non suppeditetur a malitia hominum contumeliam DEi intidente.

71. Omnes enim leges divinæ & humanae intelliguntur cum tacita exceptione necessitatis; unde regula valet: *necessitas non habet legem.*

72. Vocatur autem necessitas, si periculo mortis inferendæ vel boni irraparabilis amittendi nulla via, excepta una, resisti posse.

73. Illud præterea notandum, quod in casu necessitatis vel contra DEum, vel contra alios homines peccari videatur.

74. Contra DEum non peccatur, quia animus peccandi abest.

75. Reluctante enim voluntate fit, quod in casu necessitatis admittitur.

76. Deus autem animum & voluntatem respicit.

F

77. Quod

77. Quod ad alios homines attinet, vel contra regulas honesti & decori, vel contra regulas justi peccari videtur.

78. Contra regulas honesti & decori itidem non peccatur, quia haec facultatem & occasionem aliis beneficiendi requirunt.

79. At vero contra regulas justi utique peccari videtur, quoniam alter pari jure sese conservandi in ejusmodi casu gaudet.

80. Igitur sic tenendum: quotiescumque alter ab altero in casu necessitatis laesus est, laesio reparanda est, ubi reparatio fieri potest.

81. Ubi fieri non potest, tanquam calamitas & casus fortuitus damnum istud ilatum ferendum.

82. Facinus vero ipsum impune est, quoniam nec dolo nec culpa, sed casu perpetratum est.

83. Ex his principiis de casibus ab Auro allatis judicandum erit.

CAPUT VI.

De non lædendis aliis.

Ad §. 1.

I.

Officia secundum A. sunt vel *absoluta* vel *hypothetica*.

2. *Absoluta* sunt, quæ immediate ex principiis justi & decori fluunt.

3. *Hypothetica*, quæ vel institutum vel statum ab hominibus introductum præ-supponunt,

Ad §. 2.

4. Inter principia *justi* primum & præcipuum est istud: *Nemo lædendus*.

5. Est hoc præceptum latissimum, facillimum & maxime necessarium.

6. Obligantur vero omnes homines ad istud observandum: quia alias pax & tranquillitas societatis humanæ conservari non potest.

7. Cum enim pax & tranquillitas externa pars sit felicitatis humanæ: ex decreto Divino omnia ista prohibentur, quæ pacem ac tranquillitatem societatis humanae necessario & directe turbant.

E 2

Ad

Ad. §. 3.

8. Est autem *læsio* factum, quo bona, alteri jure connato vel acquisito competentia, vel denegantur, vel rapiuntur, vel quovis modo turbantur aut deteriora redunduntur.

9. *Læsio* ista vel *dolo* vel *culpa* fieri potest: priori sensu *injuria* vel *delictum* appellari solet; delictorum vero varia dantur genera, prout bona, quæ læduntur, diversa sunt,

Ad §. 4.5.

10. Ex *læsione* *damnum* oritur, quod est privatio boni alicujus ob alterius factum jure destitutum.

11. Hinc sequitur alterum præceptum: *Damnum* per *læsionem* *injustam* datum *reparandi*:

12. Nascitur enim *læso* ex *læsione* jus exigendi satisfactionem, seu ut restituatur id, in quo *læsus* tuit.

13. Quoniam per *læsionem* impedimentum felicitati ipsius injuste allatum est.

14. At vero omnis homo non solum jure felicitatem suam promovendi, sed etiam impedimenta removendi gaudet.

15. Non potest vero impedimentum aliter

aliter removeri, nisi per satisfactionem seu
damni reparationem.

16. Hinc sequitur obligatio ex parte læ-
dentis ad damnum resarcendum.

17. Sequitur etiam, velle hoc legis de
non lædendis Autorem: quia alias lex ejus
vana esset, neque pax & tranquillitas huma-
ni generis per eam obtineri posset.

18. Fit autem reparatio damni vel per
restitutionem ipsius rei, vel si hæc fieri non
possit, ejus æstimationem.

19. Cum vero damnum ex læsione ju-
ris oriatur: sequitur damnum non esse, si
intercipiatur vel denegetur id, ad quod al-
teri nullum jus competebat.

Ad §. 6.

20. Dum porro Reparatio damni præ-
cipitur, non modo restitutio vel pensatio
rei principalis, sed & fructuum & accessio-
num intelligitur: modo juste sperari po-
terant.

21. Quia per privationem fructuum læ-
sus privatur bono, quod ipsi jure compe-
tebat.

22. De damno per consequentiam da-
to tenendum, illud tum demum reparan-
dum, ubi læso jam jus competierit in lu-

86 CAP.VI. DE NON LÆDEND.ALIIS.

crum interceptum, nec culpa læsi intercesserit.

23. At si quis in re sua subsistens suam promoteat utilitatem, utut alter inde damnum sentiat, læsio tamen injusta non subest; quia hic jure suo utitur.

Ad §. 7.

24. Reparandum porro damnum, non solum immediate *per me ipsum*, sed media te *per alios* datum; modo illud mihi recte imputari queat.

25. Eadem est ratio, si plures damnum dederint: quibuscunque enim damnum recte imputari potest, illi ad reparandum damnum tenentur.

26. Qui vero realem operam ad actum illicitum non contulit, neque, ut iste suscipiteretur, antecedenter effecit, ad damni restitutionem non tenetur; licet occasione istius actus contra regulas honesti & decori peccaverit.

Ad §. 8.

27. Si inter plures alter juss erit, vel coegerit, alter vero patraverit; primo quidem loco tenebitur prior; sed si ab illo reparatio haberi nequeat, eadem a posteriori repetenda.

28. Qu

28. Qui consilium tantum lædit, peccavit quidem, sed damnum non pensat: quia, ut istud necessario fieret, non effect.

29. Si plures in unum actum alteri dannosum conspiraverint, omnes tenentur in solidum.

30. Si elapsis reliquis unus tantum deprehenditur, hic pro omnibus solvere tenetur.

31. Si autem ex deprehensis aliqui non sint solvendo, locupletes in solidum tenebuntur.

32. Si plures citra conspirationem ad idem facinus concurrerint, actus vel dividui sunt, vel individui.

33. Si dividui: quilibet in tantum tenetur, quantum ipse nocuit.

34. Si individui: quilibet tenetur in solidum.

Ad §. 9.

35. Non solum vero qui *dolo*, sed etiam qui *culpa* læsit, damnum reparabit.

36. Damnum enim reparandum, non quia voluntarie, sed quia datum est.

Ad. §. 10.

37. Ergo non injustum est, imputare damnum etiam ei, qui casu dedit: modo

88 CAP. VI. DE NON LÆDEND. ALIIS.

certum sit, eum esse causam vere physi-
cam, & damnum passo nihil possit impu-
tari.

38. Siquidem nulla est ratio, quare ego
potius, qui læsus sum, quam lædens, da-
mnum perferre debeam.

39. Si vero ex circumstantiis caussa phy-
sica recte dignosci, vel ab eadem repara-
tio sperari nequeat, casum sentit domi-
nus,

Ad §. II.

40. Quod si servus damnum dederit ci-
tra culpam domini, obligatur hic, ut ser-
vum dedat, vel damnum resarciat.

41. Servus enim naturaliter obligatus
est ad reparandum damnum ab ipso da-
tum.

42. At ipse quoad corpus & opes est in
dominio, quo satisfactio alteri debita im-
peditur.

43. Siquidem si servus in naturali liber-
tate constitutus esset, læsus eum persequi,
& quocunque modo reparationem obti-
nere posset.

44. Æquum est ergo, ut dominus juri
suo tantisper renunciet, quoad alter satis-
factionem obtinuerit.

45. Si

45. Si vero hoc facere nolit, obstaculum juri & felicitati meæ ponit, adeoque idem mihi contra dominum, quod contra servum lædenter licet.

46. Licebit tamen ipsi eligere, utrum velit servum noxæ dedere, an damnum refarcire.

Ad §. 12.

47. Eadem est ratio bestiæ alterum lædentis: distingendum tamen inter mansuetas & feras.

48. Illæ quoties peccant circa cujusquam culpam, toties peccant suo domino: atque adeo vel noxæ dedendæ, vel damnum a domino resarcendum.

49. Si vero noceant culpa domini, hic tenebitur, stricte ad reparationem damni, & noxæ deditio non habebit locum.

50. Si culpa læsi, hanc nulli nisi sibi met ipsi imputare potest.

51. Denique culpa tertii erit etiam tertii, qui adeo emendationem præstare recte cogetur.

52. Feræ bestiæ aut plane sunt extra dominium, aut agris sylvisque annumerantur, aut in custodia detinentur.

90 CAP.VI. DE NON LÆDEND. ALIIS.

53. Illud contingit in iis locis, ubi bestiæ sunt in statu mere naturali: tunc autem occupantur vel occiduntur pro lumenitu.

54. Si agris sylvisque annumerentur, interim vero noceant vicinis, hisce competit jus in istas, quoad retineri possunt.

55. Hæ ex custodia dimissæ nocentesque culpam domino tribuent æque ac manusæculpa domini nocentes.

Ad. §. 13.

56. Qui igitur læsit, ad reparationem obligatus est.

57. Ut autem ultro offerat, & pœnitentiā ostendat, malitiamque abfuisse testetur, regulæ decori ac prudentiæ habent.

58. Reparatione obtenta acquiescendum, & in pacem redeundum: nisi insuper cautionem exigere prudentia sva-deat.

59. Vindicta vero animum lædantis dolore satiare cupiens regulis honesti & decori adverfa est.

CAP.

CAPUT VII.

De agnoscenda naturali
hominum æqualitate.

Ad. §. 1. & 2.

I.

Hoc caput vel prorsus omittendum; vel alia ratione tractandum fuisset.

Æqualitas enim juxta cum felicitate humana fundamentum quidem est omnium regularum justi, non vero peculiare officium.

3. Sed nonnisi æqualitas naturæ tunc spectatur, non virium, non malitiæ, non potestatis ac libertatis, nec etiam obligationis naturalis.

4. Hoc solum in censum venit, quod omnes sint æque homines, atque adeo æuali impulsu ad felicitatem ferantur.

5. Unde porro æquale omnibus jus felicitatem promovendi impedimentaque removendi derivatur.

Ad §. 3.

6. Quoties vero contra præcepta hoc capite inculcata per superbiam vel contumeliam

meliā peccatur, toties non immediate contra æqualitatem, sed vel contra regulas honesti & decori, irrationabilem sui amo-rēm prohibentes, modestiamque præcipientes, vel contra regulam justi de non lādendis aliis peccatur.

7. Quid enim : *alios aequo secum jure frui permettere*, est aliud, nisi suum cuique jus tribuere, neminemque lādere.

Ad §. 4.

8. Casus vero de jure inter alios di-tribuendo huc non pertinet, sed jam specia-lioribus justi regulis nititur.

9. Quotiescumque enim aliquid inter plures distribuendum, quod illis jure com-petit, toties non ad naturalem ipsorum æqualitatem, sed ad jus, quo quisque a na-tura vel ex pacto gaudet, respiciendum.

Ad §. 5.

10. Igitur solum præceptum de *vitanda superbia* est hujus loci.

11. Est autem *superbia* vitium ex nimia sui æstimatione aliorumque contemtu or-tūm, vel honorem indebitum tantum af-fectans, vel simul aliorum existimatio-nem lādetis.

12. Hinc

12. Hinc duplex superbiæ genus datur: alterum, quod *absque* lœsione, alterum quod *cum* lœsione existimationis aliorum sese exerit.

13. Prius *superbia* in specie, vel *arrogantia*, itemque *fastus*; posterius *contumelia* appellatur.

14. *Superbia* in specie, *arrogantia*, *fastus* est vitium, quo quis perfectiones sibi imaginatur, quibus destitutus est, & ex hac vana persuasione majorem sibi honorem tribuit, vel ab aliis exigit, quam ipsi competit.

15. Hoc superbiæ genus cum ex irrationabili sui amore ejusque filia ambitione nascatur, regulis honesti & decori adversatur.

16. Infinitis vero gradibus hæc superbia distincta est, & eousque nonnunquam progeries, ut etiam stultis ridicula fiat, ubi scil. in rebus nullius momenti insignem præstantiam quærit.

17. Dum autem superbiæ vitium prohibetur, *modestia* virtus simul præcipitur: quippe quæ nullum affectat honorem sibi non debitum, quin & debitum vel sponte ab aliis oblatum intuitu infirmitatum, qua-

quarum quisque maxime sibi conscientius est, saepius respuit, aliosque sibi præfert.

18. Posterius ubi fit, *Humilitas* vocatur, quæ adeo regulis honesti & decori maxime conveniens est, cum moderati animi atque rationabilis sui aliorumque amoris indicium sit.

19. Ab utraque differt *Generositas*, virtus ex recta sui estimatione orta, quæ honorem sibi debitum tuetur atque id agit, ne actionibus inhonestis & indecoris eodem indignum fese reddat.

20. Huic opposita est *Abjectio animi*, vitium ex nimia sui diffidentia ortum, aliis serviliter se subjiciens, neque actionibus laudabilibus honorem quærens.

21. Alterum genus superbiæ est *contumelia*, quæ existimationem aliorum lædit, signis potissimum externis, factis, verbis, vultu, risu, pictura &c. contumum declarantibus; atque adeo regulis iusti prohibita est,

CAPUT VIII.

De Promiscuis Officiis hu-
manitatis exercendis.

Ad §. 1.

I.

Obligatus est homo non solum ut neminem laedat, sed etiam ut felicitatem aliorum promoteat.

2. Nititur autem haec obligatio principiis honesti & decori, quippe quæ amorem aliorum rationabilem præcipiunt.

3. Obligati enim sunt homines ad mutuum amorem: quoniam hoc pacto amicitia colitur, quæ maxima societatis humanæ felicitas est, qua & interna & externa felicitas singulorum hominum promovetur.

4. Ex hac autem obligatione *Officia humanitatis* nascuntur, quæ nihil aliud sunt, quam actiones externæ, quibus aliorum commoda promoventur.

5. Vanus enim foret amor & imaginarius, nisi opere ipso & factis etiam externis sese ostenderet.

Ad §. 2. & 3.

6. Exhibentur autem officia humanitatis

tis vel *indefinite* & sine respectu ad certos homines, vel *definite* certis hominibus utilitatem procurando.

7. *Indefinite* aliorum commoda promotum it, qui animum & corpus probe excolit, ut utiles abs se actiones in alios proficiisci queant, aut si per solertiam ingenii talia inveniat, quibus vita humana reddatur instructior.

8. Unde contra hoc officium peccant, qui nullam artem honestam addiscunt, vitamque per otium transigunt, atque adeo inutilia terræ pondera recte audiunt.

9. Peccant etiam, qui de aliis parum solliciti eo tantum respiciunt, ut ipsi habeant, de quo videntur, vel ut magnos honores consequantur.

10. Quid vero vicissim debeatur bene de mortalium genere merentibus, A. docet §. 3.

Ad §. 4.

11. *Definite* aliorum utilitati inservimus vel absque detimento aut molestia nostra, vel cum *impensa* aut opera laboriosa. Illud *vulgaris humanitas*, hoc *beneplacitum* appellatur.

12. Ad vulgarem humanitatem *res innoxiae utilitatis* pertinent, de quibus axio-

ma

ma valet: qui eas denegat alteri vel invi-
det, insigniter malus & inhumanus ha-
betur.

Ad §. 5.

13. *Beneficium* est, si quis ex singulari af-
fectu, vel generoso animi motu, vel etiam
misericordia gratis quid in alterum confe-
rat, impensa aut opera laboriosa constans,
quo ipsius necessitatibus subveniatur, aut
insignis quæpiam utilitas eidem concilie-
tur.

14. Quæ verò in dispensatione tum in-
tuitu dantis, & accipientis, tum intuitu
modi aliarumve circumstantiarum, obser-
vanda sint, prudentiæ relinquendum.

15. Ultraque hæc officia iterum vel ratio-
ne exhibentis considerantur; & sic vel
consilio vel *opera* vel *re nostra* præstantur:

16. Vel ratione ejus, cui exhibentur; &
sic vel ad *animum*, vel *corpus*, vel *faculta-
tes*, vel *famam*, vel *securitatem* ejus spe-
ctant.

17. Unde ut alter alterum erudiat, scitu
necessaria vel utilia edoceat, errantem
corrigat, fluctuantem dirigat, à pecca-
tis avocet, ad virtutem adhortetur, tristem
consoletur, esurientem ac sitientem cibo
ac potu reficiat, ægrotutti curet aut visiter,

G nudum

nudum vestimento regat, indigentem pecunia aliisve rebus sublevet, culpatum excuset, & contra calumnias aliasve injurias atque insultus defendat; utique amoris ac humanitatis ratio postulat.

18. Istud adhuc advertendum, quod uti officia humanitatis ultra pacem ad amicitiam deducunt, ita eadem juris quoque terminos plerumque migrant, & vel plus præstent, quam jus exigit, vel quæ jure exigi poterant, remittant atque condonent. Quod posterius ubi fit, *equum appellati* ri solet.

Ad §. 6.

19. Ut verò homines ad humanitatis officia invicem præstanda mutuò generatim sunt obligati, ita major obligationis gradus est in eo, cui non vulgaris humanitas, sed beneficium est exhibitum.

20. Officium, quod inde nascitur, *Gratitudo* vocatur, in eo consistens, ut is, qui beneficium accepit, ostendat, istud sibi acceptum fuisse, dantique eam ob causam faveat, & occasionem querat, paria vel majora reponendi.

21. Tanta verò est hujus virtutis ac officii necessitas, ut sublata hac tollatur omnis beneficentia ac fiducia, atque adeò pereat

perat ipsa amicitia, nobilissima felicitatis humanæ pars.

Ad §. 7. 8.

22. Hinc foeditas ingrati animi satis quidem patet; quamvis ideo ratio non appareat, cur ingrati nomen foedius quam injusti sit habendum.

23. Neque etiam *actio ingrati* unquam dabitur, nisi ultra denegationem officiorum humanitatis beneficium insuper lex latet.

CAPUT IX.

De Officiis Pacifcentium.

Ad §. 1-2.

I.

Sequuntur juxta methodum Autoris, *Officia hypothetica*, quorum fundatum præcipuum in *Pactis* situm est.

2. Cum enim saepius felicitatis humanæ ratio ita postulet, ut jure nostro nos abdiceamus, atque in alterum istud transferamus: *Jus acquisitum* inde oritur; ex jure acquisito verò *Officia hypothetica* profluunt.

G 2

3. Cum

3. Cum vero nemo jus vel transferre vel acquirere posse sine utriusque consensu : *Pacta* introducta sunt, firmissimum societatis humanæ vinculum, & necessarium felicitatis promovendæ instrumentum.

4. Fuere autem *pacta* necessaria, quod homines vel nescirent, quo pacto aliorum felicitas promovenda sit; vel nollent sponte & ex solo humanitatis instinctu eam promovere.

5. Igitur & de modo felicitatem alterius promovendi conveniendum fuit, & facultas cogendi alteri concedenda, vi cuius iure suo etiam ab invito extorquere posset, quæ alter sponte & ex sola humanitatis legge præstare nollet.

6. Est autem *Pactum* mutuus duorum vel plurium in idem placitum de transferendo & acquirendo jure consensus.

Ad §. 3.

7. Hinc regula justi seu *Lex naturæ*: *Pacta* sunt servanda.

8. Obligatio hujus legis triplici nititur fundamento; nimirum.

9. (I.) *Pœna naturali ex regulis justi*: Quisquis enim *pacta* non servat, jus alterius lædit: ex hac verò læsione alteri jus nascitur, alterum vicissim lædendi atque ad repa-

reparationem damni cogendi; unde bellum oritur, maximum felicitatis humanæ impedimentum.

io. (2) *Pœna naturali ex regulis decori*: Quisquis enim fidem semel datam sacerdos frangit, impostoris nomen fortitur, invisumque omnibus atque indignum se se reddit, quocum alii paciscantur.

II. (3) *Pœna divina arbitraria*: siquidem Deum vindicem fore turbatæ pacis ac felicitatis humanæ haud vanè præsumitur.

Ad §. 4.

12. Differt igitur Obligatio ex pacto ab ea, quæ ex sola huinanitate proficiuntur: Illa enim jus, atque adeò bellum vel actionem civilem; hæc verò neutrum producit, sed cujusque virtuti ac pudori relinquitur.

Ad §. 5.

13. Dividuntur autem Pacta in *beneficia* & *onerosa*: in illis unus tantum, in his uterque obligatur.

Ad §. 8. Et 16.

14. *Essentia Pactorum in ultroneo mutuo- que paciscentium consensu* consistit: hic enim ubi deficit, neque pactum esse potest.

15. Est autem *Consensus* convenientia duarum pluriumve voluntatum circa idem factum omnesque facti circumstan-tias.

16. Vocatur *consensus* ex parte ejus, qui jus transfert, *Promissio*; ex parte alterius, qui jus acquirit, *Acceptatio*.

17. Ultraque ad constituendum pactum est necessaria: ut enim nulla obligatio sine promissione, ita nec sine acceptatione ulla contrahitur. Unde, quid de *votorum & pollicitationum* obligatione sentiendum sit, liquet.

Ad §. 6. & 7.

18. *Promissio* est vel *perfecta*, qua jus in alterum transfero aliquid à me exigendi; vel *imperfecta* qua nullum in alterum jus transfero, sed tantum declaro, me alteri imperfete, seu ex regulis decori, obligari. Quæ differentia ex circumstantiis colli-genda.

Ad §. 9.

19. Porro requiritur, ut *consensus* decla-retur; id quod fit vel verbis similibusve signis, vel factis. Unde pactum dividitur in *expressum & tacitum*: in illo *consensus* verbis aliisve signis ordinariis, in hoc factis à sciente & intelligente declaratur.

20. Per

20. Per *factum* autem intelligitur vel ipsum *negotium*, quod geritur, ex cuius natura circumstantiisve mentem alterius colligimus, vel *silentium* cum certis circumstantiis consideratum.

21. Hæc colligendi ratio, quæ ex factis à sciente & intelligente suscepitis vel omissis procedit, *Presumtio* solet appellari.

22. Quo pacto consensus tacitus & *presumtus* coincident: qui stylo Romano alias differunt.

23. Scilicet *Consensus presumtus* Romanis nonnunquam idem erat quod *fictus*, qui nempe illis affingebatur, qui rem quidem non intelligunt, aut sciunt, nec adeò actu consentiunt, consensuri tamen haud dubie essent, siscirent aut intelligerent.

Ad §. 10.

24. Cum verò nullum pactum sine pacientium consensu subsistat, necessarium est, ut personæ pacientes & facultate polleant consentiendi consensumque declarandi, & vere consentiant.

25. Ad facultatem consentiendi tum usus rationis, tum liberum rerum actionum que arbitrium requiritur.

26. Cum enim consensus non tantum voluntatis decretum, sed & intellectus ju-

dicum involvat, apertum est, quod, qui negotium, quod geritur, non intelligit, nec consentire possit.

27. Unde porro sequitur, pacta infantum, amentium, furiosorum ac ebriorum, qua talium nulla esse: quia consentire non possunt.

Ad §. 11.

28. Quousque vero imbecillitas rationis consensum impediens in pueris duret, ex quotidianis eorum actionibus dijudicandum, vel legum civilium decreto relinquendum.

Ad §. 12.

29. Alia est ratio erroris, qui, quamvis consensui obesse videatur, tamen pactum irritum haud reddit, sed nocet erranti.

30. Nisi (1) qualitatem, in qua erravi, per modum conditionis expresse adjece-
rim, (2) ex natura negotii, itemque ex mo-
re gentium vel regionis qualitas ejusmodi
tanquam conditio tacita subintelligatur.

31. His enim requisitis cessantibus in cul-
pa est, qui mentem suam non satis aperuit.

32. Igitur culpa erroris imputatur erran-
ti, nec ulla datur caussa, cur error meus al-
teri, qui ad eum nec dolo nec culpa con-
currit, magis debeat imputari, quam mihi.

33. His

33. His positis non opus est regulis Autoris, quæ partim obscuræ sunt, partim æquitate vera, atque adeo regulis decori, partim vero æquitate cerebrina nituntur,

Ad §. 13.

34. *Dolus paciscentis* pactum reddit irrum: neque intereat, sive causam dans, sive incidens fuerit.

35. *Quisquis enim dolo agit vel vi, injuria alternm afficit: ex injuria verò nullum lædenti jus nasci potest.*

36. *A tertio vero adhibitus pactum haud solvit, utut hic ad damni reparationem sit obligatus.*

Ad §. 14. 15.

37. Eadem ratione de pactis *metu* initis pronunciandum.

38. Denotat verò metus vel *suspicionem* probabilem, fore, ut ab alio decipiamur, vel vehementem animi *terrorem*.

39. Priori sensu metus pactum haud infirmat: quamvis cautionem exigere ab eo, quocum pacisco vel pactus sum, prudenter svadeat.

40. Posteriori sensu metus pactum utique invalidum reddit; si nempe à paciente incussus sit.

41. Quoniam qui metum incutit, lædit: læsio verò modus acquirendi jus esse non potest.

42. Requiritur verò (1) ut sit injustus respectu inferentis.

43. (2) Ut sit talis, ut etiam virum constantem commoveri possit ad ea suscipienda, quæ aliàs fuissent omissa.

44. (3) ut intentetur malum præsens.

45. (4) ut quod metu gestum est, censante eo non sit ratihabitum.

46. (5) ut metus non à tertio, sed ab eo, qui mecum paciscitur inferatur.

Ad §. 17.

47. Promitti vero solum ea possunt, quæ sunt in potestate nostra: quia frustra promittuntur, quæ præstari non possunt.

48. Ergo ad impossibilia, seu quæ superant vires nostras, nemo obligatur: quamvis nonnunquam, ob intercedentem læsionem, promittens damnum resarcire teneatur.

49. Scilicet distinguendum, utrum possibilitas tempore pacti adfuerit, an post pactum supervenerit.

50. Priori casu, si promissor solus eam sciverit, ad interesse tenetur, quia invitum lætit; si verò vel neuter, vel uterque, vel

solus

solus creditor illam intellexerit; obligatio cessat, quia damnum vel fortuitum est, vel invito non accidit.

51. Posteriori casu si dolo vel culpa sua promittens vires amiserit, ad interesse cum teneri, liquet.

52. Si verò casu amiserit, & res fuerit integra, liberabitur promittens: si ei jam a liquid præstitum, vel æquipollens præstandum, vel, si hoc fieri nequeat illud restituendum, damnumque qua licet, avertendum.

53. Quod tamen in negotiis dominium non transferentibus tantum procedit, secus in iis, quibus dominium transfertur, ubi casum sentit dominus, & pactum nihilominus firmum manet.

Ad §. 18.

54. Neque etiam ad illicita præstanda, etiamsi promissa, quis obligatur.

55. Quia in ea, quæ legibus prohibita sunt, nullum nobis jus competit, atque adeò nullum in alterum transferri potest.

56. Hinc neque merces solvenda ob turpe factum promissa, licet factum sit præstitum; vel, si jam soluta, repeti potest tanquam indebita.

Ad

Ad §. 19.

57. Ex eadem ratione nec res nec actiones alienas promittere possumus: quia non sunt in potestate nostra.

58. Nisi promiserimus, nos operam daturos, ut alter præstet: tunc enim tantum promisimus, quantum in potestate nostra est.

59. Ad aliena etiam pertinent, in qua alteri jam jus quæsumum est; unde nec de his valide pacisci licet: nisi in eum casum, quo alterius jus expiraverit.

Ad §. 20.

60. Promittimus porro vel *pure*, vel cum *adjectione conditionis*, diei aut modi.

61. *Conditio* est vel *possibilis* vel *impossibilis*.

62. *Conditio possibilis* est adjectio incerti eventus eo animo facta, ut ejus existentia negotium perfectum resolvat, vel imperfectum perficiat.

63. Et cum iste eventus vel à casu, vel ab arbitrio humano, vel ab utroque simul dependere possit: hinc conditionem in *casualem*, *poteſtatiuam*, & *mixtam* dividere; quamvis nulla fere conditio potestativa sit, quin ex casu aliquid admixtum habeat.

64. Effectus igitur conditionis possibilis triplex est, prout eadem vel *pendet*, vel *existat*, vel *deficit*.

65. Conditione *pendente* jus ipsum quoque in suspenso est, licet poenitere tantisper non liceat.

66. *Existente* verò conditione, juxta voluntatem scilicet paciscentium, pactum vel perficitur vel resolvitur, & ab eo quidem tempore, quo id fieri voluerunt paciscentes.

67. *Deficiente* denique conditione, vel plane concedit negotium, vel etiam firmum atque irrevocabile redditur, pro diversa scilicet adjectæ conditionis ratione.

68. *Impossibiles* conditiones sive physice, sive moraliter tales, si promisis adjiciantur *negative*, purum; si *affirmative*, nullum reddunt promissum: quia neutro casu existent, adeoque priori casu promissum nunquam resolvetur, posteriori casu nunquam adimplebitur.

69. *Dies* conventionibus vel differendæ vel finiendæ obligationis solutionisve causa adjicitur.

70. Adeoque, die adjecta, obligatio quidem in se firma est, sed tamen solutio non ante aut ultra præfinitam diem exigi potest.

71. Quod

110 CAP. IX. DE OFFIC. PACISC.

71. Quodsi vero dies simpliciter *an* & *quando*, incerta sit, tunc eundem, quem conditio, effectum producet.

72. Nonnunquam etiam *modus* i. e. causa finalis pactis adjicitur, qui nisi impleatur, instar conditionis se habet pactum resolventis.

Ad §. 21.

73. Denique promittimus vel *ipſi* vel *per alios*, quos *internuncios*, & J^Ctorum *stylo mandatarios* vel *procuratores* appellamus.

74. Hi si bona fide egerint, neque fines mandati manifestos excesserint, firmiter nos iis, quibuscum nostro nomine pacti sunt, obligant.

CAPUT X.

De Officio Sermocinantium.

Ad §. 1.

I.

Ad promovendam Societatis humanae felicitatem, pacem scilicet & amicitiam, necessarius est sermonis usus:

CAP. X. DE OFFICIO SERMOC. III

usus : hinc peculiaria circa sermonem officia exorta.

2. *Est autem Sermo sonus articulatus ex hominum impositione animi sensa declarans.*

3. *Potiores sermonis affectiones sunt ; Veritas, Falsitas, Claritas, Obscuritas & Silentium : quæ physicè consideratae indifferentes sunt.*

4. *Veritas (ethica scil.) est convenientia sermonis externi cum interna mentis intentione.*

5. *Falsitas s. falsiloquium est mentis & sermonis discrepantia.*

6. *Claritas s. Perspicuitas est sufficiens animi declaratio, per ejusmodi verba facta, quæ de mente loquentis dubitare non sinunt.*

7. *Obscuritas contra est defectus sufficientis declarationis.*

8. *Silentium est cogitationum suppressione s. sermonis omissio.*

9. *Porro de sermonis natura notandum, verba seu sonos articulatos, quibus men-tem significamus, ex hominum arbitrio introductos esse, certamque adeò signifi-candi vim accepisse.*

10. Unde

112 CAP. X. DE OFFICIO SERMOC.

10. Unde patet sermonem affinitatis aliquid habere cum consuetudinibus in societate humana introductis, quas ex regulis decori & prudentiae observare oportet, si in eadem societate vivere cupiamus.

11. Denique & hoc observandum, cuiilibet libertatem competere & tacendi & loquendi, quæcunque & suæ aliorum saluti consentanea videntur. Quæ libertas juris connati species est.

12. Jam facilius intelligentur officia sermocinantium, quippe quæ partim ex regulis justi, partim ex regulis decori & prudentiae fluunt.

13. Scilicet regulæ decori sunt: (1) Tacendum vel loquendum, quoties tacendo vel loquendo aliorum commoda promovere possumus.

Ad §. 2. 3.

14. (2) Ita semper loquendum, uti in societate, in qua degimus, receptum est; nec obscuritas affectanda: quia aliàs finem sermonis assequi non possumus, atque adeò non solum decori, sed & prudentiae regulas migramus.

15. Quod verò tacita conventione secunda hæc regula nitatur, uti A. putat, dici vix potest: cum ceteris nullum jus competat

petat ad ejusdem sermonis usum me cogendi; nisi expresse me ad ea obligaverim, quæ sermonis recepti clarique usum requirunt.

16. Citra hunc casum enim non alia obligatio subesse potest, quam quæ ad alias consuetudines in societate receptas observandas me adstringit.

17. Quod verò in contractibus clare loquendum sit, prudentiæ propriæque utilitatis ratio exigit: cum aliàs negotium, quod mea interest, celebrari nequeat.

Ad §. 4.

18. Nihilominus nemo ad animi sensa aperienda eaque loquenda, quæ è re aliorum, non verò sua quoque sunt, jure adiugi potest.

Ad §. 5. & 6.

19. Unde patet, falsiloquium quoque, simulationem & dissimulationem, non nunquam licita esse: si scilicet commoda nostra vel aliorum id exigant.

20. Quamvis cavendum sit, ne nimis frequenti falsiloquio suspectos nos reddamus, neque contra regulas decori peccemus.

21. Hoc verò regulæ justi vetat, ne cuiquam injuriam sermone nostro inferamus,

H

nec

114 CAP. X. DE OFFICIO SERMOC.

nec falsiloquio in fraudem aliorum utamur, adeoque mendacium omne fugiamus.

Ad §. 7.

22. *Veritas* sumitur vel pro physica sermonis affectione, vel pro virtute morali.

23. Posteriori sensu *Veracitas* potius dicenda est studium alteri animi sensa citra obscuritatem aut reservationem aperiendo, quotiescumque istud nostra vel aliorum commoda requirunt.

Ad §. 8.

24. *Mendacium* contrâ falsiloquium dolosum, h. e. cum læsione alterius coniunctum: quod ubi in habitum abit, vitium inde nascitur veracitati oppositum.

Ad §. 9.

25. Unde patet, mendacium haud esse, si quis falso fictoque sermone utatur, non ut damna aliis inferat, sed potius commoda aliorum promoveat.

Ad §. 10.

26. Ambiguo verò sermone, vel reservationibus mentalibus alteri illudere, utique illicitum.

CA-

CAPUT XL.

De Officio Jurantium.

Ad §. 1.

I.

Acessorium p̄actorum & sermonis est juramentum, quippe quod tum promissis tum assertis adjici non nunquam soleat.

2. Hinc officia paciscentium & sermocnantium ad juramenta etiam applicanda sunt,

3. Est autem *juramentum oratio accessoria*, vindictam divinam provocans, si mendacium vel perfidia in oratione principali deprehendatur, ad assertionis vel permissionis confirmationem;

4. *Originem trahunt juramenti ex statutorum rapto*: duti in altero fallaciam aut perfidiam, in altero incredulitatem & diffidentiam suppōnunt;

5. Unde sequitur, propter *multos & improbos* necessaria fuisse juramenta; quippe qui magis metuant pœnam divinam, si expressè illam provocaverint: cum *sapientes & probi Deum metuant etiam*, si abs-

H 2

que

que juramento fidem fallerent vel men-
tirentur.

Ad §. 2.

6. *Finis* juramenti *tum ex parte ejus*, qui
sibi jurari curat, *tum ex parte jurantis con-*
siderari potest.

7. *Prior* est arctior obligatio jurantis ad
dicendum verum vel servandum promis-
sum.

8. *Posterior* verò in *certitudine & fide*
consistit, ut nempe alter, quocum agitur,
certus & securus reddatur vel de *veritate*
illorum, quæ affirmantur aut negantur, vel
de *fide* jurantis, seu de adimplectione eo-
rum, quæ promittuntur.

9. Uterque *præsumtione* quadam niti-
tur *tum de jurantis aliquali malitia*, *tum*
de ejusdem aliquali pietate.

10. Supponit enim, posse hominem *jus*
naturæ negligere, atque *fraudibus alterum*
circumvenire.

11. Sed non posse ita *præfractè* impium
esse, ut vindictam divinam, in se, si fidem
fefellerit, provocatam, haud metuat.

12. Hinc fit, ut juranti, propter non
præsumtum tantum malitiæ gradum, fi-
dem adhibeamus.

Ad

Ad §. 3.

13. *Forma juramenti ex fine fluit: estque vel essentialis vel accidentalis.*

14. *Illa est, quæ ex communi gentium intentione in juramento requiritur, atque in provocacione vindictæ divine sub conditione mendacii vel perfidiae facta consistit.*

15. *Hæc vero est, quæ ad majorem jurando conciliandam reverentiam, pluribus solennitatibus ac symbolis adhibitis, à singulis populis priori superadditur.*

16. *Duo autem sunt, quæ provocatio vindictæ Divinæ in Deo respicit: nimirum & omniscientiam, quam mendacium vel perfidia latere nequeat; & omnipotentiam, quæ utriusque pœnas exigere valeat.*

17. *Hinc est, quod dicitur, Deum in juramento & ut testem & ut vindicem invocari: quamvis nonnunquam alterum tantum exprimat, alterum tacite intelligatur.*

18. *Scilicet formula juramenti variat: dum vel per Deum ipsum juramus, vel per creaturas.*

19. *Prius juramentum propriè dictum: posterius execratio vocatur.*

20. Fit autem *execratio* dupli ratione; dum vel creaturam in perniciem nostram deposcimus, vel vindictam divinam in res nostras exercendam provocamus.

21. Ex dictis tamen hoc simul patet, non posse per creature jurari, hoc sensu, ut illæ perjurium vindicare debeant.

Ad §. 4.

22. Nihilominus formula juramenti accommodanda est ad religionem ejus, qui jurat; quia alium Deum non metuit, quam quem juxta religionem suam Deum esse credit.

23. Hinc sequitur, etiam per falsos Deos juranti credendum; quia jurans eos veros esse credit, adeoque vindictam eorum mequit.

24. In omni autem juramento animus jurandi requiritur: hic enim ubi deest, juramentum esse non potest, etiam si verba juramenti recitantur; quia verba ex intentione judicanda sunt.

Ad §. 5.

25. De animo vero jurandi ubi constat, effectus etiam juramenti sequitur; licet aliud quid jurando cogitaveris; quia omnis actio externa ex intentione judicatur.

Ad

Ad §. 6.

26. Porro ex fine juramentorum liquet, juramenta nihil aliud esse, quam orationem accessoriam: quippe quæ assertis vel promissis majoris certitudinis gratia adjicitur.

27. Unde sequitur, non majorem obligandi vim habere posse juramenta, quam negotium ipsum, cui accedunt.

28. Atque adeo negotium antea invalidum per jusjurandum neutquam validum reddi:

29. Nec mendacia juramento accedente vera, nec promissa illicita juramento licita fieri.

Ad §. 7.

30. Nullus igitur alius juramentorum effectus, nisi ut jurans & firmius obligetur ei, cui jurat, ad dicendum verum, vel præstandum promissum, & atrociorem expetet poenam à DEO, cuius iram provocat.

31. Sed non est peculiaris eorum effectus, quod omnis dolus & cavillatio seu fraudulenta interpretatio à juramentis absesse debeat: eadem enim ab omni asserto & promisso exulare debet.

Ad §. 8.

32. Neque illud juramentis peculiare est, quod ea non semper latè, sed quandoque strictè sint explicanda, cum idem in omni sermone obtineat.

33. An vero nota strictæ interpretationis in juramentis sit, si juratum sit inodium alterius, & non tam promissis quàm minis sit adjectum, merito dubitatur.

34. Aut enim jusjurandum ex natura negotii est invalidum; atque sic non opus est stricta interpretatione: aut est validum; atque sic stricta interpretatio à cavillatione vix absolvetur.

35. Id vero rectè observatum, juramenta non minus ac ceteras promissiones non juratas includere tacitas conditiones & limitationes, quæ ex negotii natura fluunt.

Ad §. 9.

36. Illud etiam rectè ab A. notatum, verba jurisjurandi non ex mente jurantis, sed ejus, cui juratur, valere: quia aliàs finis jurisjurandi obtineri non posset.

Ad §. 10.

37. Fluit denique ex fine juramenti divisione eius: Est enim vel *promissorium*, quod promissis; vel *assertorium*, quod assertis con-

confirmandis adjicitur. Illud ad futura,
hoc ad præterita pertinet.

38. Jam officia jurantium per se intelliguntur: Quatenus enim juramenta invocatione nominis Divini constant, regulæ honesti & decori præcipiunt: (1) non jurandum temere, (2) non jurandum, nisi per Deum.

39. Quatenus vero pactorum vel sermonis accessorium sunt, ex regulis justi tenemur, & veritatem jurando loqui, & pacta jurejurando confirmata religiose observare.

40. Delicta his officiis opposita sunt *juramentum temerarium & perjurium*.

41. Illud est, ubi de rebus impossibilibus, illicitis aut nullius pretii, vel sine judicio ac deliberatione juratur.

42. Hoc vero est juramentum delosum, mendacio vel perfidia fidem juratam fallens.

43. Tollitur obligatio jurisjurandi, dum vel actui invalido additum nullum declaratur, vel validum à creditore, vel etiam Imperante, justas ob caussas, remittitur.

CAPUT XII.

De Officio circa acquirendum rerum dominium.

Ad §. 1.

I.

EX jure sese conservandi atque adeo felicitatem suam promovendi, divinus homini concessio, fluit jus utendi fruendi rebus creatis, quantum ad hunc finem obtainendum opus est.

2. Cum enim aliter nos censervare felicitatemque nostram promovere nequeamus, nisi res creatas destruamus, atque ad usus nostros adhibeamus; hoc medium utique à DEO nobis ad finem istum consequendum concessum esse, censendum est.

3. Et quidem ita, ut non solum res inanimatas, sed & animatas destruere:

4. Imo non solum ad necessitatem, sed & commoditatem & voluptatem iis uti, liceat.

5. Cum hæc omnia ad felicitatem nostram promovendam spectent, neque vel ex principiis honesti, vel decori, vel justi-
ulla

ulla lex profluat, quæ hanc facultatem prohibeat.

6. Modo in modo non peccemus, neque prævis affectibus utendo rebus creatis indulgeamus.

Ad §. 2.

7. Evidet ab initio omnes res nullius fuere hominis, quamdiu scilicet nemo eas occupavit: ita tamen, ut omnibus patarent, qui illis uti voluerint.

8. Facto vero accedente hominis eadem occupantis & ad usus suos adhibentis, propriæ factæ fuere.

9. Sed cum æquali omnes jure gaudent res nullius occupandi atque in suos usus convertendi: *communio primeva* hic rerum status appellari suevit.

10. Quæ in sensu negativo nihil aliud est, nisi jus utendi rebus creatis, omnibus ac singulis hominibus æque competens, neque tamen cuiquam proprietatis quidquam tribuens.

11. Eiusmodi communionem ab initio paucis adhuc existentibus obtinuisse, vero haud absimile videtur: cum à paucis istis res totius universi actu occupari haud potuerint, neque ut de occupandis tantopere laborarent, necesse fuerit.

12. Res autem nullius, quas occupandi quilibet jus habet, cur in communione hactenus existere dici nequeant, non video.

13. Hoc tamen probè notandum, quod, quamvis in hac rerum communione omnibus & singulis jus in res creatas competierit, tamen ita eodem utendum fuerit, ut ne pax & tranquillitas societatis humanae detrimenti quid caperet.

14. Sed fortassis universalis hæc fuit ista communio, vel saltem diu non duravit: cum statim primi mortalium non solum fructus, sed & pecora & fundos jure proprio sibi afferuisse videantur.

15. Id quod non solum historia sacra confirmat, sed & ratio svadet: cum nec pecus sine cura, nec terra sine cultura multum proferat; unde quilibet laborum suorum fructu solus gaudere debuit.

16. Multo magis ab ista communione primæva recessum est, multiplicato genere humano, & invalescente habendi cupidine.

17. Sed non aliis modus recedendi fuit, quam *Occupatio* h. e. factum res nullius proprio jure sibi afferens.

18. Nec

18. Nec enim vel conventione vel divisione opus fuit, circa res in nullius proprietate vel communione positiva hactenus existentes.

19. Hoc pacto igitur res *nullius propriæ factæ*, atque *dominium* loco communionis introductum fuit,

Ad. §. 3.

20. Est autem *Dominium* jus habendi rem tanquam propriam, eademque utendi pro lubitu.

21. Tria igitur ad plenum perfectum que dominium requiruntur: *Possessio, Proprietas & Ususfructus.*

22. *Possessio* est detentio rei cum animo sibi habendi.

23. *Proprietas* est qualitas rei, qua res ista ad aliquem pertinet, ut eodem modo in solidum non pertineat ad alium. Si vero pro jure accipiatur, est jus excludendi alios,

24. *Ususfructus* est jus utendi fruendi rebus pro lubitu.

25. Ex proprietate sequitur *Vindicatio*; ex usufructu *alienatio*.

26. Dividitur dominium in *plenum* & *minus plenum*.

27. *Illud est, quod & proprietatem & usumfructum & alienandi facultatem complectitur.*

28. *Hoc vero iterum vel directum vel utile est.*

29. *Prius proprietatem absque usufructu : posterius usumfructum absque proprietate integra velejus parte comprehendit. Exempla in feudis & servitutibus observantur.*

30. *Limitatum ejusmodi seu minus plenum dominium, vel à pactis vel a legibus positivis formam ac modum accipit.*

Ad §. 4.

31. *Datur tamen adhuc post introducta dominia quædam terum Communio, quæ vel positiva est vel negativa.*

32. *Positiva nihil aliud est, quam dominium ejusdem rei pluribus competens.*

33. *Negativa vero est, si res quoad substantiam nullius sit, quoad usum omnibus pateat.*

34. *In hac sine dubio existunt omnes res, quæ (1) usum præbent inexhaustum, omnibusque citra dissidii periculum sufficiens: (2) quæ occupari non possunt ita, ut alii ab eārundem occupatione excludantur.*

35. Ex

35. Ex his, quid de dominio maris sentiendum sit, facilè liquet.

36. Scilicet vastus Oceanus, cujus nec proprietas ab ulla gente occupari, nec usus exhaustiri hactenus potuit, communis omnibus atque à dominio liber merito censetur.

37. Sed mare, quod littora alluit, ad Rempublicam illam haud dubie spectat, quæ littora ita occupavit, ut alios ab allidente mari excludere valeat.

Ad §. 5.

38. Modi acquirendi dominii sunt vel originarii vel derivativi.

39. Illis res nullius acquiritur: his dominium jam acquisitum ab uno in alium transfertur.

40. Ultrique iterum sunt vel *principales* vel *accessorii*: per illos acquiruntur *res ipse*; per hos rerum *accessiones*.

Ad §. 6.

41. Originarius modus uti olim, ita hodie unicus est, nempe *occupatio*; quamvis eidem *Divisio* nonnunquam accedere soleat.

42. Fit autem omnis *occupatio* per apprehensionem, h. e. actum aliquem exterritum, ex quo alii intelligunt, nos rem istam nobis vindicasse.

43.

43. Occupantur hoc pacto *res nullius*, per quas intelliguntur non solum quæ in dominio nunquam fuerunt, sed etiam quæ à priori domino derelictæ sunt.

44. Hinc regula vulgaris: *Res nullius, cedit occupanti.*

45. Variat autem occupandi ratio, prout res ipsæ variant: hinc alia est *occupatio mobilium*, alia *immobilium*.

46. *Immobilia* occupantur vel per *universitates*, vel per *fundos*. Illud fit, ubi à pluribus simul seu integro cœtu, hoc vero ubi à singulis terra occupatur.

47. *Mobilia* occupantur vel per *Inventionem* vel per *Venationem*.

48. *Inventio* est *occupatio rei mobilis*, quæ vel nullius est, vel cuius dominus ignoratur.

49. *Venatio* est *occupatio ferarum bestiarum, avium & piscium*.

50. Deinde, pro diversitate rerum, diversa etiam est apprehendendi ratio. Sic *mobilia* manibus vel immediate vel mediately per instrumentum: *immobilia* pedibus apprehenduntur.

51. In utriusque generis occupatione solus corporis contactus, ad animum acquirendi declarandum habilis sufficere,

nec

nec mobilium in custodiam translatio requiri videtur.

52. Porro cum mobilia regulariter terminos certos ac fines habeant, nullum est dubium, quin si unum rei terminum apprehendam, totius rei dominium acquisiverim.

53. At in immobilibus, quoniam hæc ferre naturaliter sibi cohærent, distinguendum erit. Vel enim illæ fines certos accepterunt ab hominum industria, vel minus.

54. In illis, quales sunt ædes, etiam præsumetur tota res acquisita, si pars apprehensa corpore fuerit, v. gr. si quis ædes fuerit ingressus.

55. In his vero necesse est, ut aliis signis animum meum, quo usque eas occupare velim, declarem, v. gr. ut limites ponam, ut culturam iis adhibeam.

56. Denique res immobiles sese habent ut *principales*, mobiles vero ut *accessorii*.

57. Hinc *immobilium apprehensione* simul res mobiles his accedentes acquisitæ regulariter erunt.

58. Pro *accessoriis* autem habebuntur omnes res nullius, quæ in rebus immobilibus continentur, aut quarum sine im-

mobilibus non est usus, sive sint mobiles in specie, ut res inanimatae; sive se moventes, ut bestiae; sive supra terram, ut aer, sive intra eandem, ut thesaurus.

59. Quamdiu igitur terra a nemine occupata est, tamdiu omnes res mobiles & se moventes, quae in terra continentur, sunt nullius: atque adeo a quolibet occupari possunt.

60. Quotiescumque vero terra per universitatem seu populum occupata est, toutes etiam omnes res mobiles & se moventes, quae in aere, aqua & terra continentur, sunt populi, vel illius, qui populum representat, h. e. Imperantis.

61. Par est ratio, ubi terra per fundos a privatis occupata est: tunc enim quantum supra vel infra cujusque fundum inveniatur, ad dominum fundi spectabit.

62. Hinc jus venandi in suo fundo cui libet privato merito asserendum erit, nisi vel pactis, vel legibus positivis aliter cautum fuerit.

63. Etiam aer lumenque solis in tantum in proprietate erunt, in quantum cujusque fundum afficiunt.

64. Ex eadem ratione & thesaurus ad dominum fundi pertinebit, in quo inventus

tus fuerit : quoniam nemini in alterius fundo actum dominii, qualis est fodere, exercere licet.

65. Est autem *thesaurus* pecunia, cuius dominus ignoratur ; atque haec tenus est res nullius : sed quatenus in fundo jam occupato continetur, accessorium est illius fundi, atque adeo ad dominum fundi spectat.

Ad §. 7.

66. Circa modum acquirendi accessorium tenendum, accessionum nomine venire quævis *augmenta* rerum, quæ vel ex re nostra proveniunt, ut *fructus*, vel opera nostra producuntur, ut in *specificatione*, vel extrinsecus adveniunt, ut in *alluvione*.

67. Sunt autem hæ accessiones vel *naturales*, quæ citra factum hominis ex sola natura istarum rerum proveniunt; ut fœtus animalium, alluvio :

68. Vel *industriales*, quæ facto & industria hominum in solidum aut ex parte procurantur, ut frumentum, vinum, *specificatio*, *adjunctio*, *inædificatio*, *plantatio*, &c.

69. De his accessionibus regula quidem generalis valet : *dominus rei principalis est etiam dominus rei accessorie*.

70. Sed in applicatione regulæ subinde oriuntur controversiæ, quænam res pro principali, quænam pro accessoria habenda.

71. Igitur sequentes adhuc regulæ tendendæ: (1) Si id, quod rei nostræ accedit, vel ex ipsa re nostra proveniat, vel opera nostra producatur, vel extrinsecus adveniens nullius sit, vel saltem alterius esse demonstrari nequeat, domino rei illud naturaliter acquiritur.

72. (2) Si vero res aut opera accedens vel in totum vel pro parte alterius sit, ac dominium ejus demonstrari possit, tum naturaliter oritur communio.

73. Sive conjunctio rerum facta fuerit casu, sive voluntate utriusque, sive voluntate unius, sive ex facto tertii.

74. Communio autem dissolvitur vel consensu partium, vel lege positiva, vel si hæc deficiat, arbitrio judicis, idque secundum sequentes fere æquitatis regulas.

75. Si res conjunctæ facilem admittunt separationem, tum separantur, & unicuique restituatur suum.

76. Si non admittunt, sunt vero fungibles, vel æqualis pretii, tum conjungens alteri restituat æquivalentem.

77. Si

77. Si non sint fungibles vel inæqualis pretii, res conjunctæ cedunt ei, cuius res majoris pretii est.

Ad §. 8.

78. Dominii minus pleni species est *Servitus*, quæ est jus percipiendi commodum ex re aliena.

79. Est hōc dominii genus admodum imperfectum, quippe proprietate destitutum: sed tamen dominii genus videtur, cum jure excludendi gaudeat.

80. Dividuntur servitutes in *personales & reales*, & hæ iterum in *urbanas & rusticas*, de quibus v. Autor.

Ad §. 9.

81. Modi acquirendi dominii *derivativi* jure naturæ sola nituntur voluntate prioris domini, & ejus in quem dominium est transferendum.

82. Nam translationem dominii ex dispositione legis vel citra acceptancem ejus, in quem dominium est transferendum, ignorat jus naturæ.

83. Declaratur autem voluntas domini prioris vel *expressè* vel *tacitè*.

84. *Expressè* vel per *sola verba* v. g. si quis contestetur, quod in favorem alterius id acceptantis renunciet dominio suo:

85. Vel per *verba & facta* simul, dum translatio possessionis iis jungitur; qui modus *Traditio* vocatur.

86. Deinde solent etiam translationem dominii dividere in eam, quæ sit inter vi-
nos, & eam quæ sit mortis cauſsa.

Ad §. 10. II. 13.

87. *Mortis cauſſa* translatio dominii se-
cundum communem opinionem fit vel
per *successionem ab intestato*, vel per *teſta-
mentum*: illa voluntate prioris domini ta-
cita, hæc vero expressa nititur.

88. *Tacitam voluntatem* eliciunt ex præ-
sumto amore, atque in illos defunctum
transferre voluisse dominium censem,
quos maxime amaverit.

89. Amasse autem maxime putant eos,
qui sanguine illi proximè juncti fuere;
quippe quod & ordini naturæ & commu-
ni hominum affectui maximè congruum
sit.

90. Sed cum hi vel descendentes sint, vel
adscendentes, vel collaterales: primo qui-
pem ad descendentes, postea ad adscen-
dentes, denique ad collaterales successio-
nem pertinere volunt.

91. Quæ quidem succedendi ratio,
quam ab *intestato* vel *legitimam* vocant,
mori-

moribus gentium passim recepta est, quamvis legibus positivis aut pactis eadem specialius certiusque definiri soleat.

92. *Testamento* vero id fieri ajunt, si quis expresse mentem declareret, in quem post mortem bona transferri velit : ita tamen ut nullum ante mortem dominium transferatur, sed libera voluntatis mutatio maneat.

93. At vero utramque succedendi rationem jus naturæ ignorare merito assertur.

94. Nam secundum jus naturæ nemo dominium in alterum transferre potest, ubi ipse nullum amplius dominium habet.

95. Jam vero per testamentum dominium non transfertur ante mortem testatoris : quia voluntas ejus est ambulatoria usque ad mortem, nec à quoquam acceptata ; adeoque nullum jus alteri quæsitum.

96. Post mortem vero ipse defunctus nullum amplius dominium habet ; quia mors omnia jura solvit : adeoque nec post mortem translatio dominii fieri potest.

97. Ergo per testamentum, prout vulgo accipitur, plane nullum dominium jure naturæ transfertur.

98. Eadem est ratio successionis ab intestato : Si enim dominium post mortem non transfertur voluntate expressa, ergo nec tacita.

99. Superest ergo ut dicamus, successio-
nem ab intestato moribus gentium h.e.de-
coro civili: testamenta vero tantum jure
positivo niti, cum non nisi apud Græcos &
Romanos in usu fuerint.

100. Alia est ratio, si quis hæredes immi-
nente fato palam nuncupaverit, atque jus
in bona vivus in eos transtulerit, reservato
tamen sibi ad dies vitæ usu, idemque ab
ipsis acceptatum fuerit: hoc enim non te-
stamentum est, uti, jure Rom. accipitur,
sed translatio dominii in diem, quæ revo-
cari non potest, cum jam hæredibus jus
quæsิตum sit.

101. Quod vero ad successiones Princi-
pum attinet, illæ non nisi tacita populi vo-
luntate nituntur : cum populus utique
jure transferendi Imperium in aliud, ex-
tincto Imperante, gaudeat.

102. Sed hæc potius translatio inter vivos
est, cum populus nunquam moriatur.

103. Etiam Testamenta Principum in
voluntatem populi ultimò resolvantur,
dum Princeps non nisi ex voluntate populi
facul-

facultate testamentum de Regno condendi gaudet: atque hoc sensu Testamenta juris gentium esse rectè afferitur.

Ad §. 12. 14.

104. Inter vivos dominium transfertur vel per *contractus*, quando voluntas expressa: vel per *Prescriptionem* seu *Uscaptionem*, quando eadem tacitè declaratur.

105. Ad *Prescriptionem* autem seu *Uscaptionem* jure naturæ tacita derelictio sufficit; quæ si probari possit, nec bona fides, nec justus titulus, nec diuturnum tempus requiritur.

106. Hanc autem principiis juris naturæ niti, atque inter gentes non minus ac privatos locum habere, quis non videt? nisi quis consensum vel expressum vel tacitum esse posse negare voluerit.

Ad §. 15.

107. Autor duos adhuc modos *invito* priori *domino* dominium transferendi ac amittendi affert: scilicet (1) per modum poenæ ob delictum, & (2) per occupationem bellicam.

108. Sed uti prior modus merè civilis est, quem jus naturæ ignorat: ita posterior nullum jus parit, nisi consensus expressus vel tacitus per pacem acceperit.

CAPUT XIII.

De Officiis, quæ ex domi-
nio rerum resultant.

I.

OMNIA HÆC OFFICIA REGULIS JUSTI GENERALIBUS DE NON IÆDENDIS ALIIS, AC DAMNO RESARCENDO NIJTUNTUR.

2. Prioribus tribus his continentur regulæ generaliores : reliquis vero his conclusiones specialiores.

3. Nimirum res vel *apud dominum* adhuc extat, vel pervenit ad tertium.

4. Priori casu valet regula prima §. 1. scil. neminem in dominio suo turbandum, damnum vero rebus aliorum illatum resarcendum ; id quod ex precepto de non iædendis aliis fluit.

5. Posteriori casu tertius ille, ad quem res aliena pervenit, est vel *male fidei possessor*, qui sciens prudens rem alterius citra justam causam detinet : vel *bonae fidei*, qui ignorat rem esse alterius, quam possidet.

6. De malæ fidei possessore regula nulla extat apud Autorem : tenetur tamen is rem vel *præcium*, cum omnibus fructibus, omni-

omniq[ue] interesse restituere: idque ex capite de danno dato resarciendo.

7. Quod ad bonæ fidei possessorem attinet, vel *res ipsa abducatur extat*, vel *fuit consumta*.

8. De priori casu loquitur regula secunda §. 2. scil. efficiendum, ut res in potestatem domini redeat: idque vel sponte ex humanitate, vel de jure repetenti eam restituendo; quia i[n]justa rei alienæ detentio laesio est.

9. De posteriori agit reg. tertia §. 3. scil. tantum restituendum, quantum facti sumus locupletiores: quia dum nos lucrum ex re aliena capimus, alter d[am]num sentit, quod utique resarcendum.

10. Circa specialiores conclusiones §. 4. seqq. non opus est ut hæreamus; quia, quantum ad privatos spectant, in jure privato prolixius disputantur, inter gentes vero rarius occurunt,

CAPUT XIV.

De Pretio.

Ad §. i.

I.

Post introducta rerum dominia *Commercia* quoque, & ex commerciis rerum *Pretia* exorta sunt.

2. Sunt autem *commercia* mutationes rerum vel operarum mutuæ. Nonnunquam vero denotat commercium qualitatem rerum, quatenus illarum dominium acquiri ac transferri potest.

3. Caussa, cur introducerentur commercia fuit *indigentia* hominum & *luxus*.

4. Cum enim non omnis ferret omnia tellus, vel iis, quæ ferret, hominum luxuria non esset contenta, neque quilibet quibus opus haberet aut delectaretur, possideret necesse fuit, ut quisque, quæ sibi deessent, peteret ab aliis, & cum gratis omnia postulare non posset, offerret rem æquivalentem.

5. Cum vero sæpissime res disparis naturæ & usus inter se permutandæ essent; certa rebus quantitas fuit assignanda, juxta quam

quam comparari & exæquari possent, quæ *Pretium* appellata.

6. Est igitur *Pretium* quantitas rerum moralis, juxta quam res inter se conferri & exæquari possunt.

Ad §. 2.

7. Sed ut natura & fundatum pretii eo rectius intelligatur, duo ante omnia notanda:

8. Primum est, res æstimari vel *physice* secundum perfectionem & excellentiam naturæ suæ; vel *moraliter* ratione habitus & aptitudinis ad promovendam felicitatem humanam; vel *civiliter*, prout in commercium veniunt, atque adeo pro arbitrio affectuque hominum valorem accipiunt.

9. Alterum est, cuilibet competere jurem suam æstimandi pro lubitu, nec quemquam ad rem suam ex arbitrio alterius æstimandam cogi posse; nisi imperans in civitate hanc libertatem circumscripserit: id quod ex natura dominii & libertatis clarum est.

10. Hinc patebit, *Pretium* esse vel *naturale*, aliis virtuale dictum, ubi res secundum perfectionem & excellentiam naturæ, vel habitum aptitudinemque ad pro-

movendam hominum felicitatem æstimantur.

11. *Vel positivum seu arbitrarium*, aliis *formale* appellatum, quod rebus ratione commerciorum ex arbitrio affectuque hominum impositum est.

12. Hoc posterius iterum in *vulgare & eminens* dispescitur.

13. *Vulgare* est valor rerum vel operarum quarumcunque ratione aliarum rerum vel operarum, quibuscum conferuntur, iisdem impositus.

14. *Eminens* est valor certarum rerum, ad quem tanquam mensuram omnium certarum rerum pretia exiguntur, & in quo virtualiter continentur. Appellatur alias *nummus vel pecunia*.

Ad §. 3. 4.

15. Circa utrumque porro consideranda: 1) *res*, quæ pretium recipit, 2) *fundamentum pretii*, & 3) *modus impositionis*.

16. *Res*, quæ pretium admittit, debet 1) apta esse ad felicitatem humanam promovendam, 2) in commercium veniens.

17. Hinc res nullius usus nullius etiam est pretii.

18. Præterea pretium respuant res commercio exemptæ; sive quod dominium per se non admittant, licet tanquam accessoriæ

riæ pretium rei augeant; sive quod pretium omne superent; sive quod legibus venales esse vetentur.

19. *Fundamentum quoquè pretii impo-*
nendi ex his principiis colligitur: quippe
quod partim ab utilitate seu aptitudine ad
felicitatem humanam promovendam, par-
tim à raritate petendum.

20. Ut autem utilitas pro diverso ad felicitatem habitu diversa est: ita & rari-
 tas pro varietate circumstantiarum variat,
 atque adeò pretium vel auget vel minuit.

21. Sed utilitas non semper ex veritate,
 sed opinione hominum æstimatur, sicut
 quilibet felicitatem pro affectu suo sibi
 fingit.

22. Præterea raritas res etiam minoris
 utilitatis facit carissimas; è contrario res
 utilissimæ raritate non laborantes plerum-
 que sunt vilissimæ.

23. Variant igitur rerum pretia, prout u-
 tilitas ac raritas earum variat, vel prout
 quisque majorem minoremve utilitatem
 aut raritatem sibi fingit.

24. Atque hinc patet, cur pretium vul-
 gare iterum in *commune* & *affectionis* divi-
 datur.

25. Scilicet *Commune* vocatur, ubi quis

rem

rem secundum utilitatem ac raritatem ita aestimat, uti alii eam aestimare solent.

26. *Affectionis* vero, ubi quis rem suam ex peculiari affectu aestimat, magis quam alii solent.

27. Fundamentum enim pretii communis est utilitas ac raritas vera, vel saltem communi hominum opinione protali habita: pretii affectionis vero est utilitas ac raritas imaginaria ex peculiari affectu nata.

Ad §. 5. 6.

28. Porro *modus imponendi* pretium aliis est in statu *naturali*, aliis in statu *civili*.

29. In statu *naturali*, quilibet rem libere secundum utilitatem ac raritatem veram vel imaginariam aestimat, atque sic pretium solo contrahentium consensu determinatur.

30. In statu *civili* saepe legibus pretium rebus statuitur, saepe usu fori & contrahentium arbitrio istud determinatur.

31. Hinc iterum divisio pretii in *legitimum* & *conventionalē* seu *arbitrarium*, quod Autor *vulgare* vocat, enaicitur: utrumque tamen eodem, quod supra demonstratum est, fundamento nititur.

32. Illud certum est atque constans, nec
rece-

recedere ab eo licet, nisi consentiat is, in cuius gratiam constitutum est.

33. Verum hoc varium est ac mutabile, quippe quod pro variis rerum circumstan- tiis atque arbitrio contrahentium vel in- tenditur vel remittitur.

34. Unde clarum est, in pretio conven- tionali neminem ultra dimidium lœdi pos- se: cum quisque sibi imputari debeat, quod in istud pretium consenserit.

Ad §. 7.

35. Quemadmodum propter commer- cia certum rebus pretium, quod vulgare appellavimus, assignandum fuit: ita pro- pter commerciorum frequentiam *Preti- um eminens* introducendum fuit.

36. Hoc est, circumspicienda fuit ma- teria, quæ tantæ nobilitatis tantique valo- ris esset, ut major minorve quantitas ejus omnibus reliquis rebus æquipolleret.

37. Invexit autem commerciorum fre-quentiam partim luxuria, partim statuum in civitatibus multiplicatio.

38. Postquam enim varia homines ad commoditatem aut voluptatem desidera- re coeperunt, non sanè in proclivifuit cui- vis ejusmodi res possidere, quas alter suis

mutare vellet, aut quæ alterius rebus æquivalerent.

39. Multiplicatis vero civitatibus, cum primis iis, quæ cultiores ac moratores videri volebant; non solum luxus sed & ceteræ cupiditates invaluerunt.

40. Hinc varii status introducti fuerunt, qui cupiditatibus istis instrumenta ac nutrimenta pararent.

41. At horum statuum complura genera vitam vel planè non vel ægrè sine pretio eminenti seu pecunia tueri possent.

42. Multiplicato igitur luxu, multiplicatisque hominum statibus major indigentia enata fuit; major vero indigentia majorem commerciorum frequentiam induxit: ex commerciorum vero frequētia pretii eminentis seu pecuniæ necessitas exorta,

43. At conventione inter gentes ad impositionem hujus pretii non fuit opus: cum singulæ gentes istud pro lubitu imponerent, materiamque ad hoc ipsum liberè eligerent.

Ad §. 8.

44. Ut autem finis pretii eminentis obtineri possit, materia, cui istud impoñendum est, his gaudeat requisitis oportet.

45. 1) Ut sit rara, utilis & æstimabilis: quia abundantia & vilitas eam redderet ineptam ad pretium omnium reliquarum rerum in se complectendum,

46. 2) Substantiæ solidæ & compactæ, ne usu facile atteratur, atque ultimos possessores damno afficiat.

47. 3) Divisioni custodiæ ac translacioni apta, quippe quod commerciorum indeoles utique requirit.

48. Hæc requisita cum in metallis nobilioribus, auro & argento inprimis, & ex parte etiam cupro, reperiantur, caussa patet, cur à plerisque gentibus hæc materia pecuniæ sit adhibita.

Ad §. 9.

49. Sed in civitate non nisi Imperans pretium eminens materiæ imponere, atque valorem pecuniæ definire potest, id quod impressis ei publicis signis fieri solet,

50. Ratio est, quod hocce pretium in commerciis civium instar mensuræ esse, atque adeò vim legis obtainere debet,

51. In impositione hæc vel etiam mutatione pretii prudentia adhibenda, & non solum bonitatis materiæ, sed & vicinarum gentium ratio habenda,

CAPUT XV.

De Contractibus

Ad §. 1.

I.

Pactum & Contractus differunt ut genus & species: quamvis hæc differentia diversum juris effectum haud pariat.

2. *Contractus* igitur est pactum de rebus vel actionibus in commercium venientibus.

3. Hinc doctrina de Contractibus vel generalis est, quæ ex doctrina de pactis fluit:

4. Vel *specialis*, quæ ex speciali cuiusque contractus fine ac forma jura officiaque contrahentium determinat.

Ad. §. 2.

5. *Divisiones* contractuum sunt vel juris gentium, vel juris Romani.

6. Jure Romano dividuntur in veros & quasi contractus; veri in *nominatos* & *in-nominatos*; & illi iterum in *consensuales*, *reales*, *verbales* & *literales*: sed hæ divisiones

nes tricas & subtilitates sapiunt, adeoque in jure naturæ meritò omittuntur.

7. Jure *gentium* verò in divisione contractuum attenditur tantum ad illas circumstantias, quæ omnibus gentibus sunt communes.

8. Hinc primò contractus sunt vel *principales*, qui citra respectum aliorum in euntur: vel *accessorii* seu *adjecti*, qui aliis firmandis accedunt,

9. Deinde vel *consulti* sunt, qui à solo contrahentium arbitrio formam ac modum accipiunt: vel *fortuiti*, quorum forma ab eventu suspenditur.

10. Denique priores iterum vel *benefici* sunt, qui solum commodum absque onere in alterum transferunt: vel *onerosi*, qui utrumque contrahentium ad mutuum onus adstringunt.

Ad §. 3. 4.

11. Doctrina communis est, in contractibus æqualitatem esse observandam, ac, è deficiente, læsionem corrigendam: quæ tamen in praxi nullum habet usum; cum læsio æqualitatis, propter pretiorum incertitudinem, vix doceri queat.

12. Solus igitur contrahentium consensus & arbitrium dat legem cuique contractui,

etui, quantum scilicet de jure cuique præstandum.

13. Dolus tamen abesse debet, quippe qui in legem de non laedendo impingit, atque adeo vel solus contractum vitiat.

14. Ex regulis justi etiam nemo obligatur, ut qualitates rei & defectus sponte indicet: quia hoc cujusque prudentiae relinquendum.

15. Interrogante tamen altero nihil dissimulandum ex iis, quæ novisse altetius interest: eò quod aliás dolus admitteretur.

16. Quin regulæ honesti & decori svalident, si alterum imprudentiorem vel in errore versantem videas, etiam non interrogantem de rei qualitatibus ac vitiis admonete, lassionemque præter opinionem admissam corrigere.

Ad §. 5.

17. *Benefici Contractus* sunt: *Donatio, Mandatum, Commodatum, Depositum, & certa ratione etiam Mutuum.*

18. *Forma* horum contractuum in modo gratis præstanto; *finis* vero in obligatione ad mutuam amicitiam consistit.

19. *Donatio* est contractus beneficus de dominio rei in alterum gratis transferendo.

20. Na-

20. Nascitur ex donatione *jus rem donatam exigendi.*

21. *Donantis igitur officium, ex regulis decori & prudentiae quidem, est, & rem gratiam, & serena fronte; ex regulis justi vero, rem donatam citra moram dare.*

22. *Donatarii contrà est, non solum in exigendo modestiam adhibere, sed etiam grata mente affectum donantis agnoscere, eundemque si non per antidora, saltem voluntatis promptitudinem declarare.*

23. *Mandatum est contractus beneficis de negotio ab altero commisso gratia peragendo.*

24. Datur autem mandatum vel *cum libera*, ubi fidei & prudentiae alterius rem totam committimus; vel *sine libera*, ubi certus agendi modus, certique negotii fines præscribuntur.

25. Competit igitur mandanti *jus à mandatario ea, quæ negotij indoles requirit, quæque peragenda suscepit: mandatario vero à mandante indemnitatem exigendi.*

26. Licet etiam mandanti mandatum quandoque revocare, modò re non amplius *integra indemnem mandatarium præstet: quemadmodum & mandarius man-*
dato

dato renunciare potest, modò tempestivè renunciet.

27. Ceterum *mandatarii officium* est, summa cum fide & industria in negotio commisso versari, nec mandati fines excedere, damnum verò dolo vel culpa datum resarcire.

28. *Mandantis contra* est & sumptus in rem commissam factos, & damna mandati causa erata restituere.

Ad §. 6.

29. *Commodatum* est contractus beneficis de rei nostræ usu gratis alicui concedendo, & re illæsa suo tempore restituenda.

30. A *commodante* igitur jure exigitur, ut rei promissæ usum gratis concedat, nec ante statutum tempus rem repeat, impensas vero in rem necessarias refundat, & consum fortuitum, nisi aliter conventum, sustineat.

31. *Commodatarins* verò tenetur, & re bona fide uti, & illæsam finito usu vel definito tempore, & damna dolo vel culpa dare resarcire.

Ad §. 7.

32. *Depositum* est contractus beneficis de re gratis custodienda, & ad libitum deponentis restituenda.

33. *Depo-*

33. *Depositario* igitur incumbit, & rem in custodiam recipere, & receptam probè custodire, nec citra deponentis consensum eàdem uti, imo nequidem vinculis inclusam exuere, multò minus repetenti abnegare, sed potius fātam tectam citra moram restituere, damnaque dolo vel culpa data reparare.

34. *Deponens* contra non nisi ad impensas & damna restituenda tenetur: reperi-
re verò rem depositam quandocunque po-
test.

Ad §. 8.

35. *Contractus onerosi* sunt: *Permuta-
tio, Emplatio, Venditio, Locatio, Conductio, Mu-
tuum, Societas, itemque fortuiti, ceterique
adjecti.*

36. *Forma* hōrum contractuum non tam in æqualitate, ut supra ostensum, quām in commodo utrinque præstando: finis verò in promovenda mutua felicitate consistit.

37. *Permutatio* est contractus de re vel opera pro re vel opera æquivalente permutanda.

38. Officia permutantium sunt, ut res promissas præstent, ac damna dolo vel culpa data refarciant.

39. *Inito contractu res ante traditionem
sunt*

sunt mutuo contrahentium periculo: unde casus fortuitus à neutra parte præstandus.

40. Permutationes vero inter mercatores hodie usitatæ, quibus res pecuniâ prius æstimatae loco pecuniaæ invicem traduntur, emtionis venditionis naturam induunt.

41. Nec donationes reciprocæ propriæ permutationes sunt, eò quod æquivalens pretium hic præcise non spectatur.

Ad §. 9.

42. *Emissio Venditio* est contractus de rei dominio, pro certo pretio, acquirendo.

43. Acquiritur istud dominium solo consensu, etiam rei nondum tradita.

44. Nonnunquam enim res & pretium statim traduntur, nonnunquam traditio rei vel pretii in aliud tempus differtur.

45. Traditio igitur non ad perfectiōnem; sed consummationem contractus initi pertinet.

46. Hinc & periculum rei venditæ ante traditionem est emtoris.

47. Damnum verò dolo vel culpa datum à dante reparandum.

48. Cetera emtoris venditorisque officia in eo consistunt, ut justo tempore hic quidem rem tradat, ille verò pretium solvat.

49. *Pacta*

49. Pacta emtioni adjici solita, variaque ejus genera juris quidem arbitrarii sunt, atque in infinitum variare possunt; potiores tamen species hoc loco notari merentur.

50. Inter pacta igitur adjecta eminent: *Addictio in diem, Lex commissoria, Retractus,* seu pactum de retrovendendo, *Jus protimis, Et pactum antichreticum.* v. Autor.

51. Emtionis autem genera sunt: *Emitio per aversionem, Auctio, Emitio spei Et.* v. Autor.

Ad §. 10.

52. *Locatio Conductio* est contractus de usu rei vel operæ pro certa mercede habendo.

53. *Estque vel rei, vel operis, vel operarum.*

54. In locatione Rei locator rem debet usui habilem præstare, impensas necessarias tolerare, ac damnum voluntarium refarcire.

55. *Locator operis* opus justo tempore perficiat, ac de daminis, ex ipsius culpa vel dolo proventuris respondeat.

56. *Locator operarum* ea qua par est fide ac industria operas præstet; ceteroqui ad interesse tenebitur.

57. *Conductor contra in quavis locacione*

ne promissam mercedem solvat oportet,
modò usum rei vel operæ nactus fuerit.

58. Quod si ergo res locata perierit, ab
eo tempore conductor à mercedis soluti-
one immunis est.

59. Si etiam illa detrimenti quid cepe-
rit, conductor de pensione detrahit, quan-
dum usui rei deceffit.

60. Si verò rei locatæ proventus fit in-
certus, neque exuberans pensionem au-
get, nec malignus eandem minuit.

61. Nisi casus proventum intercipiens
rario fuerit, de quo in se suscipiendo con-
ductor haud cogitare potuerit.

62. Si quis etiam quocunque casu ope-
ras præstare impeditus fuerit, mercedem
jure exigere non potest. Humanitati ta-
men & æquitati & hic locus erit.

63. Quod si de mercede nihil con-
ventum, locator id expectare videtur,
quantum communis usus aut conductoris
æquitas tulerit.

64. Ceterum conductor ad boni pa-
tris-familias modum re uti, eandem fini-
to tempore reddere, ac damna voluntaria
resarcire debet.

Ad §. II.

65. *Mutuum est contractus de re fungi-
bili*

bili vel gratis vel sub conditione accipienda usuræ, alteri concedenda, ut suo tempore res ejusdem generis, quantitatis & qualitatis reddatur.

66. Res, quæ mutuò dantur, *fungibles* dicuntur, eo quod altera alterius vice fungitur, & numero, pondere & mensura determinantur.

67. Datur autem res mutuò vel gratis, vel sub conditione emolumenti, quod *usu-*
ra vocatur.

68. Capere verò usuras pro rebus mutuò datis non magis injustum est, ac mercedem pro præstita opera aut rei usu exigere.

69. Dum enim re mea alterius utilitatem promoveo, meam vero negligo, nihil æquius est, quam ut neglecta hoc pacto utilitas mea mihi aliquo modo compensetur.

70. Hoc tamen æquitatis ratio postulat, ut usuræ lucro, quod alter ex pecunia aut alia re credita facit, & damno, aut lucro cessanti, quod ego ex absentia rei meæ capio, respondeat.

71. Quin regulæ honesti & decori sapientus svadent vel usuras indigentibus prorsus remittere, vel saltem exigas admodum capere.

72. Hinc

72. Hinc usuræ sunt vel *bonesta*, quæ ex æquitatis ac humanitatis legibus definiuntur: vel *turpes*, quas turpis lucri cupidus ultra modum exigit.

73. *Mutuantis* igitur officium est, rem promissam exolvere, nec in usuri excedere,

74. *Mutuatarii* verò est, ex eodem genere tantundem restituere; quod an ex interno, an externo, ex præterito aut præsenti rei valore definiatur, nihil refert; modò nihil detrimènti mutuatarius capiat,

Ad §. 12.

75. *Societas* est contractus de rebus vel operis conferendis, atque lucro vel damnatione fortuito inter conferentes dividendo.

76. Officia sociorum vel *ipso* *socios*, vel *alios* respiciunt,

77. *Ipsi* *socii* sibi invicem obligantur ad fidem & industriam in societate adhibendum, atque lucrum & damnum fortuitum pro rata dividendum, culpam vero vel dolum præstandum,

78. *Illis* verò, quibus cum contrahunt, & ad fidem servandam, & damna data resarcienda, & quidem tanquam correi credendi vel debendi, tenentur.

79. Quo-

79. Quomodo autem divisio fieri debat, ex natura & legibus societatis initæ judicandum,

80. Aut enim societas *universalis* omnium bonorum, aut *particularis* certarum rerum vel operarum inita est.

81. In societate *universalis* non solum omne lucrum conferendum, sed etiam singuli ex communi massa sustentandi.

82. Soluta hac societate divisio bonorum fit pro ratione eorum, quæ singuli in societatem initio contulerunt.

83. In societate *particulari* verò illud tantum lucrum dividitur, quod ex re vel opera collata provenit.

84. Collatio autem variè fieri potest: Velenim ab utroque res aut operæ, æquales vel inæquales, vel ab altero tantum res aut pecuniaæ, ab altero operæ conferuntur.

85. Quacunque autem ratione collatio facta fuerit, partes lucri semper ita definiuntur, prout sese pecuniaæ aut rei emolummentum ad premium operæ habet, nisi aliter conventum.

86. Soluta societate quilibet recipit, quantum intulit, detracto lucro aut damno.

87. Quod

87. Quod si alter tantum rem aut pecuniam, alter vero operam ad rem tractandam aut distrahendam duntaxat contulerit, tunc illi res vel pecunia manet salva, hic verò de lucro tantum pro rata operæ collatae participat.

88. Si verò res alterius pecunia coemta, alterius opera pretiosior reddita, posterior quoque partem in ipsa re habere intelligitur itidem pro rata operæ collatae.

89. Solvitur Societas vel morte socii, vel utriusque consensu, vel temporis præfiniti lapsu.

90. Invito verò socio ex societate intempestivè discedere non licet.

Ad. §. 13.

91. Sequuntur *Contractus fortuiti*, qui aleam continent, atque adeo pro forma essentiali habent compromissum in incertum eventum, hoc effectu, ut pro eventus ratione alterutri compromittenium aliquod jus acquiratur.

92. Præcipuae illorum species sunt: *Sponsio, Ludus, Lotaria, Asscuratio & Sors.*

93. *Sponsio* est pactum, quo occasione contradictionis in conversatione civili occurrentis, duo plures ve, sententiae suæ fiducia sibi mutuo ita aliquid promittunt,

ut is,

ut is , cuius assertio sefellerit, alteri illud
præstare teneatur.

94. Ut res , de qua quæritur, utrinque
ignota sit , non requiritur, cum sufficiat,
alterum de alterius certa scientia dubi-
tare.

95. *Ludus* est pactum, quo duo pluresve,
adhibitis certis instrumentis, eventum, a
fortuna vel ingenio, vel urroque depen-
denter, procurant, ac prout ille ex com-
pacto ceciderit, ita aliquid lucrantur vel
perdunt.

96. Ludos licitos esse , ex sana ratione
negari nequit ; cum quilibet suum dona-
re alteri liceat : quamvis forte consuetudo
ac modus ludendi non prorsus sit appro-
bandus.

97. Officia circa ludos partim ex regulis
honesti & decori , partim ex regulis justi
fluunt.

98. Ex regulis honesti & decori nimium
ludendi pruritum , ex turpi lucri cupiditi-
tate vel voluptate ortum vitare tenemur.

99. Ex regulis justi verò in ludo ludentes
dolo abstinere, nec eventum , qui a fortu-
na & arte licita dependet, mediis furtivis
procurare, vel vi adhibita , timidiiores pe-
cunia, emungere debent.

100. Post ludum, ubi scilicet licite & bona fide peractus est, fides data servari, ac res promissa præstari debet.

101. *Lotaria* est contractus de re plurimum collatitia pecunia coëmenda, & post ea ex sortis decreto uni adjudicanda.

102. *Olla fortune* peculiarem gignit contractum ad emtionem spei proxime accendentem, dum emitur facultas extrahendi ex urna tesseras, & quod inscriptum est acquirendi. Hodie etiam *Lotaria* sæpe vocatur.

103. *Affcuratio* contractus est de securitate mercium transportandarum affrena, & si eventus assertioni respondeat, certa mercede a domino earum assertenti, sin minus, estimatione illarum domino solvenda.

104. *Sors* decisoria est pactum de re dubia per incertum eventum decidenda.

105. Effectus sortis a mutuo pacientium consensu dependet, atque naturam pacti sub-conditione initi sequitur.

106. Res igitur mere humana est, quamvis nonnunquam specialis providentia divina ad eam concurrere possit.

Ad §. 14.

107. Sequuntur Contractus accessorii seu
ad-

adjecti, qui principalibus accedunt, ut vel obligationem eorum temperent, vel firmorem reddant.

108. Prioris generis exempla sunt, quæ emptioni venditioni adjici solent, de quibus supra.

109. Ad posterius genus pertinet *fidejussio & pignus*.

110. *Fidejussio est contractus, quo quis, in majorem creditoris securitatem, obligationem alienam in subsidium suscipit, a se, nisi debitor principalis solvat, solvendam.*

111. A fidejussione discernendum negotium, quod inter fidejussorem & debitorem principalem intercedit ; quippe quod vel *est mandatum*, si pro sciente & volente, vel *negotiorum gestio*, si pro ignaro, vel *donatio*, si pro invito quis fidejusserit.

112. Fidejussio vero est contractus inter creditorem & fidejussorem, sed qui non nisi accessoriā eamque subsidiariā producit obligationem.

113. Hinc fidejussor debet esse persona, quæ creditori ad solvendum idonea censetur.

114. Sed quoniam obligatio fidejussori-

ris tantum accessoria est, ad maiorem summam hic, quam debitor principalis, tene-ri non potest.

115. Arctius tamen obligari potest, cum illi plus fidei quam huic sit habitum.

116. Si plures pro uno fidejusserint, singuli pro rata tantum tenentur.

117. Nisi forte unus solvendo non sit, vel conveniri non possit: tum enim certi preceo solvunt.

118. Si vero ut correi debendi se obligaverint, singuli quidem ad solidum solven- dum compelli possunt, sed tamen a con- dejussoribus partes reperunt.

119. Porro cum obligatio hęc tantum subsidiaria sit, patet, fidejussorem non, nisi excusso debitore principali, conve- niendum.

120. Quicquid vero solutum, a debito- re principali ipsi refundendum.

121. Creditor fidejussori non est obli- gatus si; tamen in fraudem fidejussoris a- ctionem adversus debitorem principalem competentem maliciose differat, ad agen- dum compelli potest.

Ad §. 15.

122. Contractus *Pignoratitius* s. *Hypo- thecarius* est conventio de re, in securita- tem

tem creditoris tradenda vel obliganda,
initus.

123. *Res illa, si tradatur, pignus: si non tradatur, sed tantum assignetur & obligetur, hypotheca audit: illa ut plurimum mobilis, hæc immobilis esse solet.*

124. *Finis pignoris vel hypothecæ est securitas creditoris: ex quo principio omnes regulæ hic observandæ deducuntur.*

125. *Hinc sequitur, pignus creditoris tradendum esse, maxime si sit res mobilis.*

126. *Si immobilis, eidem ita assignandum & obligandum esse, ut ope judicis facile possessio obtineri possit: id quod securitas creditoris utique postulat.*

127. *Ex eadem ratione pignus majoris esse debet, quam ipsum debitum: eo quod alias creditor ratione fortis & usurarum non satis securus esset.*

128. *Premium vero præsens, non præteritum aut futurum attendendum: quoniam illud creditori haud prodest, hoc vero incertum est.*

129. *Respiciendum quoque premium non affectionis, sed commune: cum hoc tantum securum reddat creditorem de suo inde obtinendo.*

130. *Denique pignus pretii sit durabilis:*

Ilis: si enim vel res facile perire, vel præ-
sum mutari queat, securitati creditoris
parum consulitur.

131. Porro res, quæ oppignorantur, vel
fructuose, sunt vel *steriles*.

132. Circa priores sæpe adjici solet *pæ-
cetum anticbreticum*: sed etiam citra hoc
pactum creditor fructus pignoris loco u-
surarum jure percipit, nec rationes de iis
reddit, multo minus aliquid restituit.

133. Licet enim creditor possessione pi-
gnoris satis securus sit, tamen natura pi-
gnoris & utilitas debitoris ita flagitat, ut
etiam fructus creditori relinquuntur.

134. Cum enim perceptio fructuum
plerumque non solum impensas, sed et-
iam operas requirat, illæ vel a creditore
vel a debitore impendendæ essent.

135. A creditore non potest exigi, ut
fundum alienum colat, & rationem hoc
nomine reddat, nec quicquam inde per-
cipiat.

136. A debitore itidem hoc fieri vix
potest, quin creditorem in possessione sua
turbet.

137. Quod si prædium incultum man-
ret, debtor plus damni quam emolumen-
ti

ti inde caperet: dum & fructibus carentum esset, & usuræ solvendæ,

138. Igitur tacitum pactum de percipiendis a creditore fructibus ex natura negotii per se intelligitur.

139. Quod si pignus sit res sterilis, possessione imprimis opus est, ut in promptu sit creditor, unde sibi solvatur.

140. Sed nec possessio pignoris, nec perceptio fructuum ad securitatem creditoris sufficit: alienandi quoque jus eidem tribuendum.

141. Sed diversi casus probe discernendi. Vel enim dies solutioni ac pignoris relutioni dictus, vel non.

142. Priori casu tacite quasi conventum, nisi pignus præstituto tempore reluatur, ut illud cedat creditor: quia hoc casu debitor juri reluendi censetur renunciasse.

143. Si vero expresse *lex commissaria* addacta, eo minus dubitandum, quin creditor solutione non facta ejus proprietatem acquirat.

144. Neque hoc iure naturæ iniquum est: præsumitur enim debitor tanti pignus æstimasse, quanti est debitum, atque adeo elapso reluendi tempore illud eo pretio vendidisse.

145. Ubi hoc pacto dominus rei oppi-
gnoratæ factus est creditor, porro liquet,
jus quoque alienandi eam eidem compe-
tere, nec ad reddendum quod excedit
eum teneri, neque quod deest a debitore
petere posse.

146. Sed potest etiam creditor jus pi-
gnoris ante definitum tempus, si res ita
exigat, in alium transferre; cum utique
securitas ejus hoc postuleret, ut si ipse pecu-
niæ indigeat, ope pignoris eam nancisci
queat.

147. Regulariter certe debitoris haud
interest, a quo pignus reluati; sicut & ipsi
licet jus reluendi pignus alii cedere.

148. Si nullum tempus reluitioni pi-
gnoris præfinitum sit, debitor istud relu-
ere potest, ubicunque voluerit; atque cre-
ditor debitorem ad reluendum potest
compellere, quandocunque placuerit.

149. Quod si alteruter difficilem se præ-
beat, judex adeundus est. Si hoc dispi-
cuerit, alter jus pignoris, alter jus relu-
endi alii cedere potest. Aliud medium
compellendi debitorem ad reluendum
non datur.

150. Ceterum creditoris est, pignus, so-
lutione facta, salvum & incolume debitori
restituere.

151. Ac-

151. Atque hinc non minorem illi, quam rebus propriis, custodiam interea adhibere.

152. Nec invito eo, præsertim si res sterilis sit, & usu facile atteri possit, eadem uti.

153. Si ergo culpa vel dolo creditoris pignus detrimentum ceperit, vel perierit, nec integrum debitum petere potest, sed quantum damni dedit, tantum ex debito amittit.

154. Si vero casu perierit, jus quidem pignoris, non vero debitum creditori, debitori autem res oppignorata perit.

155. Impensas in conservationem rei fructuosæ factas sine dubio fert creditor, quoniam fructus percipit.

156. At si novum opus fuerit factum, istud tollit, nisi justum ejus pretium solvere velit debitor, qui tamen ad hoc compelli nequit.

CAPUT XVI.

De modis, quibus tollantur Obligationes.

Ad §. 1.

I.

Obligatio ex contractu tamdiu subsistit, donec vel *facto* contrahentium, vel *necessitate* quadam tollatur.

2. *Factum* ejusmodi vel ab *obligato*, vel ab *obligante*, vel ab *utroque* proficiscitur.
3. *Obligati* factum tollit obligationem vel per *solutionem*, vel per *compensationem*, vel per *delegationem*.
4. *Solutio* est exacta ejus, de quo conventum fuit, expletio.
5. Fit autem solutio juxta leges conventionis, quibus & persona solvens & cui solvit, & res ratione quantitatis & qualitatis, & modus & tempus & locus solutionis determinatur.
6. Regulariter solvere tenetur, qui debet.
7. Si alius pro alio solverit animo non donandi, solutum a debitore repetit.
8. De-

8. Deinde solvendum ei, cui debetur, nisi hic alium delegaverit.

9. Porro id solvendum vel præstandum, quod promissum, non aliud, idque integrum, non mutilum aut divisum.

10. Factum tamen qui promisit non potest compelli, nisi ad præstandum interesse.

11. Denique solvendum modo, tempore & loco convento; si secus solvatur vel petatur, ratio habetur ejus cuius interest, ita non solvi.

Ad §. 2.

12. *Compensatio* est debiti liquidi, ob debitum reciprocum ejusdem naturæ, sublatio

13. Patet autem, compensationem locum non habere, nisi debitum utrinque sit liquidum.

14. Dicitur autem liquidum, quod debitor non inficiatur, vel si inficietur, celeriter & sine altiori indagine potest probari.

15. Nec compensantur regulariter nisi res fungibles ejusdem generis, quarum solvendarum tempus præsens est aut præteriit.

16. Non

16. Non vero aliæ res aut præstationes diversæ naturæ, nisi utrinque pecuniâ æstimatae.

Ad §. 9.

17. *Delegatio* est actus, quo debitor creditori consentienti assignat alium, qui nova promissione debitum in se suscipit.

18. Dicitur & *Cessio* vel *Assignatio*, si novus promittens sit debitor debitoris; *Expromissio* vero, si non fuerit debitor.

Ad §. 3.

19. *Obligantis* factum tollit obligacionem vel per *condonationem* seu *remissionem*, vel per ejus *perfidiam*.

20. *Condonatio* seu *Remissio* est actus, quo quis declarat, se juri petendi debitum in gratiam debitoris renunciare: id quod vel *expresse* vel *tacite* fieri potest.

Ad §. 5.

21. *Perfidia* obligantis, qui præstanda non præstat, liberat quoque obligatum; cum in reciproca obligatione tacita subsit conditio, præstabō, si & tu præstiteris.

22. Quamvis perfidus hoc ipso ab obligatione non liberetur, sed vel ad implendum promissum, vel præstandum interesse compelli possit.

ad

Ad §. 4.

23. Factum utriusque tollit obligatio-
nem vel per *mutuum consensum*, vel per
mutationem status, vel per *temporis ta-
psum*.

24. *Mutuo contrahentium consensu tol-*
luntur obligationes, quæ in ipsorum ar-
bitrio sunt, modo res adhuc integræ sit,

Ad §. 6.

25. *Mutatio status*, cui tanquam furi-
damento obligatio innititur, eandem tol-
lit; quoniam omnis obligatio vel pro-
missio intelligitur sub conditione, rebus
sic stantibus: unde mutata rerum facie,
& obligationem mutari necesse est.

Ad §. 7.

26. *Tempore expirat obligatio, si illud,*
quod obligationi præfixum, elapsum fue-
rit,

Ad §. 8.

27. Necessitatem denique solvendi ob-
ligationem *mors affert*; cum sublato sub-
jecto obligationis, ipsam quoque obliga-
tionem tolli necesse sit.

28. Neque enim naturaliter jura ac
obligationes in successores transeunt, nisi
rei potius quam personæ inhærent:
quam-

quamvis hæc nova potius obligatio videatur; quam continuata, novo scilicet successoris consensu expresso vel tacito inse suscepta.

AD CAPUT XVII.

De Interpretatione.

Cum hoc Caput ad Logicam potius quam Jus naturæ pertineat, a Grotio vero & Pufendorffio ob Logicarum vulgarium defectum in jure naturæ tractatum sit; nos istud ad suam disciplinam remittimus, paulo uberius & accuratius, quam ab Auctore factum, ibi pertractandum.

LIB.

LIBRI SECUNDI

CAPUT I.

De Statu Hominum naturali.

Ad §. 1.

I.

Sequuntur Officia, quæ ex diverso hominum statu fluunt.

2. Est autem *status* conditio hominis cum certis circumstantiis considerati, quæ ad certas actiones, & hinc manantia jura & officia, eum determinat.

Ad §. 2.

3. Dividitur ille in *naturalem* & *adventitium*.

4. *Naturalis* secundum Aut. triplici modo consideratur, quamvis illa consideratio nec satis accurata sit, nee adeo magnum habeat usum.

Ad §. 3.

5. Certe in ordine ad *DEUM* vix quisquam in statu naturali vivere dicetur, nisi illum *statum naturalem* dicere velis, ubi homo secundum naturam h. c. secundum rectam

rectam rationem ac leges naturales vivit.

6 Cui adeo opponetur *status praeter-naturalis*, sc. corruptus, ubi homo non ut homo, sed ut bestia, contra naturam & leges naturæ vivit.

Ad §. 4.

7. Nec etiam *status naturalis* hominis in ordine ad seipsum vitæ sociali & per industriam hominum exultat opponendus; sed potius considerandus ratione humanæ naturæ in se spectatæ & eorum, quæ humanæ naturæ accidunt, scilicet nativitatis, sexus, integritatis, ætatis.

8. Quamvis cum humana natura multis imperfectionibus ac imbecillitatibus laboraret, etiam is status hominis naturalis dici queat, status nempe corruptionis, qui opponitur statui integritatis.

Ad §. 5.

9. In ordine ad alios homines status naturalis vel opponitur sociali vel civili.

10. Priori respectu status naturalis iterum dupli ratione considerari potest: Velenim unus homo solus, aut saltem solitarie vivens adesse fingitur, vel plures homines simul adsunt.

II. Si

11. Si unus homo solus vel solitario vivens adesse fingatur, vita ejus non potest non esse miserrima, præsertim prout nunc hominis natura est comparata.

12. Si vero plures ad sint homines nullo societatis vinculo inter se colligati, neque adeo ulla erga se invicem officia aut humanitatis aut justitiae observantes, illocum status itidem non potest non turbatissimus esse, nec a statu belli multum aberit.

13. Posteriori respectu status naturalis dicetur, ubi homines in universali quædem societate humana vel etiam particuliari minore, non vero civili sunt constituti.

14. In ejusmodi statu naturali extiterunt olim capita familiarum segregum, hodie vero in eodem existunt capita Rotump, sive summi Imperantes.

Ad §. 7.

15. Illum vero statuta naturalem, qui statui sociali opponitur, universaliter quædam extitisse ex historia sacra & profana constat, & ab Autore satis probatum est: nisi quod primus homo ad breve tempus in statu solitario virisse in sacris memoretur.

16. Particulariter tamen adhuc hodie ejusmodi statum inter nonnullos homines vel societates existere, experientia docet.

Ad S. 8.

17. Jura status naturalis, prout statui civili opponitur, sunt *libertas* & *equalitas*.

18. *Libertas* est facultas agendi quidquid velis & legibus naturalibus non prohibatum est.

19. Involvit igitur *libertas naturalis* immunitatem ab imperio humano & legibus positivis, non vero naturalibus ac divinis.

20. Patet autem, etiam in statu civili aliquam libertatem superesse posse, si quis nempe imperio quidem civili non vero domestico sit subjectus, quæ *libertas* iterum magis vel minus restricta esse potest.

21. Ex *libertate* sequitur *equalitas*, vicus illis, qui sibi invicem non subjecti sunt, *æquitia* etiam jura competit.

22. Unde porro liquet, in statu naturali quemlibet quidem actionum suarum arbitrum esse, mediisque ad felicitatem suam promovendam pro Lubitu uti posse, hanc tamen libertatem ita restrictam esse, ut illud cum laſione alterius fieri nequeat.

23. Ni

23. Ni enim ita restringeretur, sed cuique infinita alterum lœdendi licentia cederetar, alter ex jure æqualitatis eodem jure uti posset, unde bellum necessariò o riturum esset.

Ad §. 9.

24. Incommoda status naturalis, & commoda status civilis tot ac tanta non sunt, uti Autor ea depingit: quin potius uterque status sua commoda & incommoda habet.

25. Evidem incommodus maxime & miser futurus esset status, si quis vel in perpetua solitudine, vel inter homines quidem, sed auxilio humano destitutus vive re deberet: at ejusmodi statum non dari, nisi inter paucos forte & ad breve tempus, manifestum est.

26. In illo vero statu, qui est familiarum segregum extra Civitatem viventium, quamvis vita rudior & simplicior sit, tamen & beatior sèpe est, & paucioribus malorum irritamentis obnoxia, libertate in primis jucunda, nec securitate prorsus destituta.

27. Contra in statu civili major quidem securitas, efficacioraque malitiam humam reprimendi media dari videntur:

M 2 sed

sed hoc tantum obtinet, ubi legitimus imperii civilis usus adest; hujus vero si abusus oceurrat, status civilis statu naturali longe infelicior erit.

Ad §. 10.

28. Sæpius inter homines vel societas sunt in statu naturali quam in civili *Controversia* oriuntur, dum alter alteri jus suum denegat, quod jus controversum *Pretensio barbare* vocari solet.

29. Media jus suum persequendi vel tenuendi, atque adeo controversias decidendi diversa dantur in statu naturali & civili: suntque vel *amicas* vel *inamicas, coactivas*.

30. *Inimica* seu *coactiva* sunt in statu naturali *bella*, in statu civili *judicia*.

31. *Amicas* sunt vel *transactio* seu amicabilis compositio, vel *compromissum* seu provocatio ad arbitros: quarum utraque & in statu naturali & in civili obtinet.

32. Verum non solum regulæ honesti & decori, sed etiam prudentiae svadent, ut prius lenior via amicaque controversias exortas componendi ratio tentetur, quam ad bella aliaque violentiora remedia ruitur.

33. Primum igitur remedium amicum est *transactio*, seu *conventa controversia*, per

per remissionem quandam juris facta, decisio, quæ sœpe amicorum interventu, sœpe etiam citra illos fieri solet.

34. Sed hæc inter gentes potentiores raro effectum habet, nisi, postquam armis decertatum viresque utrinque fractæ, litem remittendo aliquid de jure suo terminari consultius duxerint.

35. Alter modus amicus est *Commissio seu Arbitrium*, dum partes litigantes mutuo consensu viros probos eligunt, *Arbitros vocatos*, qui caussa cognita litem ex æquo & bono decidant, quarumque sententia ipsis standum sit.

36. Unde patet, arbitrorum esse, 1. ut æquos se se utrique parti præbeant, nec odio aut gratiæ quidquam dent; 2. ut caussam secundum omnes circumstantias probe cognoscant atque ponderent; 3. ut sententiam æquitati & circumstantijs facti consonam ferant.

37. Prudentiæ igitur est, non eligere arbitros, quorum interest, alterum quoque modo caussam obtainere.

38. Patet etiam, pactum inter arbitrum & partes, cuius vi pronunciare in gratiam alterius teneatur, naturæ & scopo arbitrii adversari.

39. Causæ autem merita vel ex communi partium confessione, vel ex certis instrumentis, vel ex indubiis rationibus & signis, vel ex testium effatis cognoscuntur.

40. Testes extra gratiam & odiū positi requiruntur, insuperque ad veritatem dicendam juramenti religione obstrin-guntur.

41. Ceterum partes ex conventione stare tenentur Arbitrorum sententia, eamque ultra exequi: sed ubi hoc facere detrectent, efficacioribus remediis a victore ad id compellendæ, unde bellum evitari vix potest.

Ad §. II.

42. Status igitur naturalis licet non sit status belli, bellum tamen perpetuo in eo metuendum; ob facultatem non solum sed & voluntatem nocendi, quæ in hominibus, ex naturali quadam ingenii pravitate, deprehenditur.

43. Status *adventitus* est vel *domesticus* vel *civitis*: utrumque capite sequentia ulteriorius explicabunt;

CAPUT

CAPUT II.

De Officiis Conjugalibus.

Ad §. 1.

I.

Definitio Matrimonii ante omnia fundamenti loco collocanda erat, ut natura hujus societatis tanto rectius intelligeretur: cum talia sint iura atque officia, qualia societatis requirit natura.

2. Est autem *Matrimonium* societas seu conjunctio maris & foeminæ, propter procreationem & educationem sibolis honestam & decoram inita.

Ad §. 2.

3. *Originem* matrimonium haud dubie a Deo trahit, quippe qui conservationem & multiplicationem generis humani per procreationem sibolis honestam & decoram intendit.

4. Intelligitur autem hæc Dei intentio ex naturæ humanae consideratione.

5. Scilicet homo adultus in se comprehendit naturalem instinctum & occultam quandam propensionem ad conjunctionem cum individuo diversi sexus.

6. Qui instinctus propensioque ad di-

M 4

ver-

versum sexum non parum augeri videtur sensu voluptatis, quæ ex ista conjunctione percipitur.

7. Hunc porro instinctum non solum ad animorum, sed & corporum, conjunctionem tendere animadvertisus: quippe cuius & corporum membrorumque habitus & conformatio respondet.

8. Ex ista autem corporum conjunctione sobolis procreationem provenire, experientia magistra discimus,

9. Hinc ratio colligit, instinctum istum a Deo procreandæ sobolis ergo homini indicium esse: nec ob alium finem voluptatem isti adjunctam, nisi ad levandas, quæ susceptionem sobolis & educationem comitantur, molestias.

10. Sed præterea istum instinctum venisque appetitum, quam libidinem vocamus, sæpe excessu quodam laborare observamus, qui non tantum internam animi quietem & corporis sanitatem turbat, sed etiam ad externas actiones indecoras atque injustas impellit.

11. Qui excessus nimiusque veneris appetitus ex immoderato voluptatis appetitu haud immerito derivatur.

12. Sed cum hæc insignis ~~ataxia~~ imo vitium

tium sit, etiam hunc instinctum, inordinatumque veneris appetitum, quemadmodum & ceteræ cupiditates, per regulas honesti & decori in ordinem esse redigendum, intelligimus.

13. Unde iterum colligimus, procreationem sobolis, ad quam hoc ipso instigamur, ex intentione Dei secundum regulas honesti & decori instituendam esse.

14. Id quod nulla ratione melius quam per matrimonium fieri potest.

15. Finis igitur matrimonii est procreatio sobolis & educatio honesta & decora.

16. Mutuum vero adjutorium, in quo nonnulli finem secundarium querunt, non est finis matrimonii, sed societatis in genere.

Ad. §. 3.

17. Ex dictis patet, quid de *obligatione* ad contrahendum matrimonium sentendum sit. Scilicet secundum Autorem ea vel in respectu ad totum genus humānum, vel in respectu ad singulos homines considerari potest.

18. Priori respectu idem est, ac si queratur, an genus humānum sit multiplicandum? quod uti intentioni Dei consentaneum, ita merito afferendum est.

19. Sed obligatio respectu singulorum hominum, de qua hic potissimum queritur, nonnisi hypothetica esse potest: si scilicet quis per procreationem sobolis felicitatem suam promoveri credat.

20. Quamvis enim Deus multiplicacionem generis humani intendat, tamen propter felicitatem humanam eam intendit.

21. Singulorum igitur est, judicare, an procreatio sobolis ad felicitatem ipsorum facere possit.

22. Hoc enim si sit, sobolemque sibi querant, ad matrimonium ineundem utique obligantur: quia procreatio sobolis honesta & decora esse debet.

23. Ceterum ut quisque commodam occasionem expectet, ut suæ conditionis rationem habeat, atque non solum an ad generandum, sed etiam ad familiam alendam ac regendum idoneus sit, itemque an in coelibatu forte plus utilitaris humano generi procurare, quam in conjugio possit, penitus: istud quidem ad prudentiae regulas pertinet.

Ad §. 4.

24. Initur hæc societas per *pactum*:
cir-

circa quod & consensus, & conditiones, & personæ paciscentes, spectanda.

25. Circa *consensum* idem hic juris, quod in quolibet pacto.

26. Unde qui ex metu injusto, dolo, errore circa substantialia, itemque in furore aut ebrietate consensere, haud consensisse consendi sunt.

27. *Conditiones* pacti ex regulis honesti & decoris has esse oportet :

28. 1) Ut & vir & uxor tantum potestatis sibi in utriusque corpus indulgeant, quantum ad finem obtainendum necessarium est.

29. 2) Ut ne uxor alii præterquam marito corporis usuram velit concedere : id quod & uxor a marito stipulari potest.

30. 3) Ut vir sit caput familiæ, atque imperio doméstico in uxorem quoque, uti in totam familiam, vel, si mavis, jure dirigendi eam, gaudeat.

31. 4) Ut bona utriusque conjugis ad ferenda matrimonii onera sint communia.

32. 5) Ut continuo cohabitent, nec uxor invito marito sibi domicilium constituant.

33. 6) Ut ad dies vitæ duret, vel saltem usque

188 CAP. II. DE OFFICIIS CONJUG.

usque dum facultas generandi desinat, vel liberi educati sint.

Ad §. 6.

34. Quamvis autem ex lege vel pacto perpetuum esse debeat matrimonium, tamen ob violata pacti matrimonialis capita, aliasve causas finem matrimonii impeditentes naturaliter dissolvi potest.

35. Spectat igitur huc adulterium, malitiosa desertio, malitiosa debiti conjugalis denegatio, impotentia & sterilitas desperata, inimicitiae capitales & mores alterutrius intolerabiles.

Ad §. 5.

36. *Polygamia*, est vel *muliebris* vel *virilis*: illa cum pluribus viris, haec cum pluribus foemini contrahitur.

37. *Polygamia muliebris* seu *Polyandria* p̄arm honesta & decora est existimanda: cum ejusmodi conjunctionis nullus legitimus finis allegari possit, sed excessum quendam libidinis corruptissimosq; mores ea presupponat, & procreationem s̄obilis si non impedit, saltem incertam reddat.

38. *Polygamia virilis* vero seu *Polygynia* pro climatis ratione non prorsus illicita esse videtur, eo quod procreationem s̄ob-

bolis honestam & decoram non impedit.

39. Magis tamen honesta & decora si-
ne dubio monogamia est: quoniam ordi-
natum magis ac moderatum libidinis af-
fectum indicat.

Ad §. 7.

40. Contrahere possunt matrimonium
omnes, qui ad honestam & decoram so-
bolis procreationem educationemque
sunt idonei.

41. Nonnullis igitur personis vel natu-
rale vel morale obstat impedimentum,
quo minus matrimonio jungi queant.

42. Prioris generis sunt primum per-
sonæ ejusdem sexus, deinde qui vel ætatis
vel alio corporis defectu laborant, pro-
creationem sobolis impediente.

43. Morale impedimentum vel ex pa-
cto matrimoniali vel immediate ex lege
oritur.

44. Ex pacto impediuntur personæ con-
jugatae cum aliis matrimonium inire,
quoties conditio monogamiae adjecta
fuit.

Ad §. 8.

45. Ex lege vero nuptias impedire cen-
setur arcta nimis sanguinis aut affinitatis
conjunctio, de qua tamen distincte pro-
nunciandum,

46. Sci-

46. Scilicet matrimonia adscendentium & descendantium inhonesta & indecora haud immerito censentur: quoniam ex inordinato libidinis affectu fere semper oriuntur, & reverentiam laedunt, quam descendentes adscendentibus debent.

47. Collateralium vero proximorum matrimonia tum demum pro dishonestis reputantur, ubi ex inordinata libidine oriuntur; quod tamen saepissime imo plerumque fieri solet; alias tantum decoro civili repugnare videntur.

48. Ex his patet ratio, cur hujusmodi nuptiae, inter proximos consanguineos vel affines contractae, plurimis gentibus pro incestis, h. e. minime castis habentur.

49. Ex eadem ratione mirari non debemus, quod Deus populo judaico proximos consanguinitatis & affinitatis gradus expressa lege prohibuerit, etiam Christianis observandos: cum utriusque populi mores ad honestatis ac temperantiae leges, qua licet, attemperandi fuerint.

50. Ceterum de legibus positivis aut moribus gentium particularibus, quibus certi consanguinitatis aut affinitatis gradus

dus prohiberi solent, in jure naturæ non sumus solliciti.

Ad §. 9.

51. Nec etiam de solennibus nuptiarum ritibus, quibus pacti matrimonialis declaratio vel consummatio ex legib⁹ positivis vel gentium moribus vestiri solet.

52. Ex his autem, quid circa Principum matrimonia licitum sit, facile est ad intellegendum: scilicet nec gradus jure humano prohibitos, nec solennes nuptiarum ritus observare tenentur.

53. Quæ vero naturalis honestatis aut iustitiae ratio circa matrimonia exigit, eadem nec Principes a suis matrimoniis aliena putabunt.

Ad §. 10.

54. *Officia conjugum* partim ex mutuo amore arctissimaque conjunctione fluunt, & pertinent ad regulas honesti & decori; partim ex pacto matrimoniali, & pertinent ad regulas justi.

55. Scilicet *regule honesti & decori* præcipiunt, primò ut conjuges sibi invicem omnia officia non solum humanitatis sed & charitatis præstent, ut concordiam collant, se se invicem adjuvent, ac imbecillitates & calamitates alterutrius æquo animo

mo ferant: deinde ut *maritus* imperium suum in uxorem humanitate temperet; *uxor* vero marito reverentiam ac obsequium exhibeat.

56. *Regule iusti* vero exigunt, ut conuges sibi invicem debitum conjugale præstent, quantum ad finem matrimonii necessarium est, non vero aliis corporis usuram præbeant, aut malitiose invicem deferant.

CAPUT III.

De Officiis Parentum & Liberorum.

Ad §. 1. 2.

1.

Cum finis matrimonii sit procreatio sobolis, oritur inde Societas parentum & liberorum, ex qua itidem certa quædam jura atque officia resultant.

2. Oritur hæc societas partim ex necessitate educationis, quam misera infantum conditio exigit, partim ex obligatione parentum ad educationem prolis susceptræ.

3. Misera esse prolis recens natæ conditionem experientia docet; nuda enim

&

& inops nascitur, necessariis vitæ subsidiis non solum, sed & rationis usu destituta: unde necessario circa aliorum auxilium ipsi pereundum esset.

4. Auxilium istud, quod indiget miser ejusmodi infans, uno vocabulo *Educatio* appellatur, atque partim ad corpus conservandum, partim ad animum formandum pertinet.

5. Si jam queratur, quisnam obligatus sit ad auxilium istud, quod maximi beneficij loco merito reputatur, infantū praestandum? respondeo: ex regulis justi nemo, ex regulis honesti & decori omnes, omnium vero maxime parentes.

6. Scil. cum regulæ honesti & decori, i.e. leges charitatis ac humanitatis homines obligent ad felicitatem aliorum promovendam, illorum præcipue, qui alieno auxilio maxime indigent: patet sane fundamentum obligationis, qua infantibus miseriis subvenire alii tenentur.

7. Sed cum obligatio ista ad beneficia aliis exhibenda suos habeat gradus, alii que magis, alii minus ad istud obligentur, pro ratione circumstantiarum, scil. in primis occasionis; itidem liquet, cur omni-

um maxime parentibus officium eduta-
tionis incumbat.

8. Quoniam scilicet nemini proximior
occasio est, infanti misero subveniendi,
quam parentibus, a quibus & vitam & san-
guinem trahit, quiique adeo ipso natura-
ductu ad carnem & sanguinem suum fo-
wendum invitari videntur.

9. Hinc igitur coalescit *societas hæc pa-*
tria forte vel *paterna* dicenda, educandæ
sobolis ergo inter hanc & parentes inita.

10. Initur autem hæc *societas* ex parte
parentum consensu vero, ex parte libero-
rum consensu præsumto seu factio.

II. Parentum consensum declarant vel
expresse de educatione sobolis inter se
pasciendo, vel tacite, idque iterum vel
consentiendo in matrimonium, & per
consequens in ejus effectum ex consuetu-
dine & regulis decori necessarium, vel ipso
facto prolem generatam suscipiendo.

11. At liberi in ista ætate neque expresse
neque tacite consentire possunt: præsu-
muntur tamen consensuri, si usi rationis
gauderent, in ea, quæ ad salutem ipsorum
necessaria sunt.

13. Finis ergo hujus *societatis* est *edu-*
cationis

casis fabolis, ex qua omnia jura & officia parentum & liberorum profluunt.

14. Scilicet cum educationis beneficium liberis praestari nequeat citra aliquam directionem ipsorum: manifestum est, ex eodem jus nasci parentibus actiones librorum dirigendi; cum obligatio ad finem jus det ad media.

15. Jus istud uno vocabulo *Patria potestas* vocari solet, estque nihil aliud, quam imperium parentum in liberos, quo actiones ipsorum ad vitam honeste ac feliciter transligendam diriguntur.

16. Ex dictis patet, quid de origine patriæ potestatis sentiendum sit, quam Author partim ex lege naturali, partim ex consensu librorum derivandam duxit.

17. Scilicet si per legem naturalem intelliguntur regulæ honesti & decori, res recte se habet: at loco consensus taciti presumptus erat ponendus.

Ad §. 3.

18. Patet etiam, quid ad questionem respondendum: utrius parentum jus in liberis potius sit?

19. Scil. quamdiu æquales utriusque parentis in educanda sobole sunt partes,

N 2 tam-

tamdiu etiam æquale jus ac potestas utriusque parentum competet.

20. Quin vero pacto vel legem majus alterum onus circa educationem imponi, majorque adeo potestas tribui queat, dubitari non potest.

21. Hinc non opus est differentiam quandam potestatis in statu naturali & civili querere; atque in illo primas partes matris, in hoc vero patri deferre.

22. Nec interest etiam sive proles legitima sit sive illegitima; modis de patre constet, & hic jure suo uti velit; cum non appareat ratio, quare illi cum matre non idem jus in sobolem illegitimam sit tribuendum.

23. Quod si forte patri major ex pacto potestas tributa fuerit, dubium non est, quin eadem, post ejus mortem transferatur ad matrem; & hac ad secunda vota transeunte, ad vitricum, si mater ita velit, atque is in fidem & curam naturalis parentis succedat.

24. Quin si & extraneus desertum aut orbatum parentibus liberaliter educandum suscipiat, haud dubie eandem potestatem, quæ parentibus coraptebat, sibi vindicabit.

Ad

Ad §. 4.

25. Potest autem potestas parentum in liberos vel in statu *naturali* vel in statu *civili* considerari.

26. In statu naturali iterum duplex potestas patri competere potest: alia scil. quatenus *pater* est, alia, quatenus *caput familie* est: illam *patriam potestatem* in specie, hanc *imperium domesticum* appellare liceat.

27. *Patria potestas* in statu naturali haud dubie tanta est, quanta ad educationem requiritur.

28. Vi hujus igitur potestatiis patri competit jus victum & amictum liberis decernendi, vitæque agendæ regulas illis præscribendi, atque obsequium ab iisdem exigendi.

29. Imo competit etiam facultas ipsos coercendiviolentis mediis, si parere nolint.

30. Quæ tamen ad modicam castigationem tantum, non vero ad jus vitæ & necis porrigenda; cum huic cum educatione nulla sit connexio, nec atrociora delicta in teneram ætatem facile cadant.

31. Multo minus prolem intra materna viscera latentem elidere, aut editam necare

care licebit: quippe quæ manifesta foret injuria.

32. Ceterum si fortè citra spem emendationis omnem disciplinam pertinaciter adspernetur puer, domo patria cum ejici atque abdicari posse, haud negandam.

Ad S. S. 6.

33. Id quoque fatendum, habere jus dirigendi actiones liberorum suos gradus, & quo immaturior ætas, eo plures actiones eidem subjacere, quo magis vero maturitas ætatis ac ingenii augescit, eo magis illud decrescere.

34. Sed cum res ista in puncto non consistat, gradus decrescentis potestatis accurate nimis discernere ac juxta ætatis differentiam determinare nec licet, nec opus est, sed potius prudentia parentum istud relinquendum.

35. Illud etiam certum, patriam potestatem liberos haud reddere inhabiles, quo minus res proprias habeant, neque adeo patri quidquam juris in res liberorum naturaliter competere, nisi alimenta erogata inde repetendi.

36. Unde nec usum fructum omnem ex bonis liberorum, neque quod ex ipsorum labore lucri aut emolumenti provenit,

nit, pater sibi vindicare potest, nisi in quantum educationis operas ac impensas compensari juris est.

Ad §. 7.

37. Porro in statu naturali etiam imperium domesticum uti in reliquam familiam ita & in liberos, quamdiu in familia paterna haerent, Patri competit, cum nihil sit æquius, quam ut membra societatis ad præscriptum ejus, quod est caput societatis, sese attemperent.

38. Istud vero imperium in primazate a patria potestate vix differet, in adulata vero distincte magis cum in legibus domesticis præscribendis, tum in pœnis ob delicta irrogandis sese exeret.

Ad §. 8.

39. In statu civili patria potestas & imperium domesticum non amplius differunt, sed quidquid per leges civiles patri vel relictum vel concessum, promiscue patriæ potestatis nomine venire solet.

40. Solet etiam patria potestas sæpius ejusmodi effectibus per leges civiles donari, qui neque ex jure patro neque ex imperio doméstico naturaliter fluunt.

Ad §. 9.

41. Solvitur sine dubio patria potestas,

ubi finis ejus, nempe educatio, ces-
sat.

42. Cessat autem educatio, ubi proles
vel in alienam familiam transit, vel edu-
catione non amplius indiget, sed ipsa sibi
prospicere potest, vel novam familiam
constituit.

43. Atque sic cessant etiam officia, que
patriæ potestati secundum regulas justi
respondent; non vero que ob beneficia
ac bene merita parentibus secundum re-
gulas honesti & decori debentur.

Ad S. 10.

44. Educatio, ad quam parentes obli-
gantur, quin vel immediate ab ipsis, vel
mediate per alios, quibus hæc cura com-
mittitur, fieri queat, dubitandum non est,
modo finis obtineatur.

45. Unde nihil obstat, quo minus ma-
ter sobolem aliis lactandam tradere pos-
sit, modo justa subsit caussa, nec volu-
ptatis magis ac vanitatis sectandæ gratia
id fiat, quam ut saluti infantis consula-
tur.

46. Præterea & informationem filii
præceptor i idoneo pater recte committit,
& adoptandum cum alteri dare potest:
mo-

modo educatione filii ac salus hoc ipso non impediatur, sed promoveatur.

47. Oppignoratio etiam filii aut venditio in tolerabilem servitutem non prohibita est patri in casu summae inopiae: non ob dominium patris in filium, sed ob necessitatem, quod hic aliter conservari aut ali nequeat.

48. Per expositionem vero minus recte cura liberorum in alios transfertur: eo quod minus tuus hic modus liberis consulendi videtur; unde cunctiores via circumspicienda.

Ad §. II.

49. Uti ejicere liberos e familia citra causam, insignis parentum inhumanitas foret: ita nec permittere debent parentes, ut citra suum consensum liberi e familia egrediantur: cum non liberorum sed parentum sit judicare, an educatione non amplius indigeant.

50. Unde sequitur, nec matrimonium a liberis citra consensum parentum recte iniri, sive in familia paterna manere, sive egredi ex ea velint.

51. Quod si tamen de facto invitatis parentibus matrimonium contractum & con-

N 5 sum-

summatum fuerit a liberis, istud quidem secundum rigorem juris nullum pronuntiandum videtur; cum facultas consentendi invitis parentibus liberis non competierit.

52. Nihilominus cum non possit accurate determinari, quando patria potestas finiatur, non facile apparebit in statu naturali, an justa adhuc fuerit causa parentibus consensum denegandi, in primis si familiam paternam liberi non amplius onerare velint.

Ad §. 52.

53. Officiū parentum in proba & prudenter educatione liberorum consistere ex hactenus dictis patet: quid vero ad hanc ratione animi & corporis requiriatur, specialius ab A. expōsitum est.

CAPUT IV.

De Officiis Dominorum
& servorum.

Ad §. I.

I.

Multiplicato genere humano per matrimonium, & aliae societates enatae sunt, minores pariter ac majores: inter minores herilis, inter maiores civilis considerari merebitur.

2. Est autem *societas herilis* *societas inter personas haec tenus æquales inita*, ut altera alterius imperio domestico se subjicit, & commoda ejus per servitia sua promoteat, altera vero alimenta vel alias res mercedis loco pro servitiis ei præstet.

3. Circa *Originem* hujus *societatis* & *caussa impulsiva* & *occasio* & *modus* *eam* *ineundi* vel *constituendi* probe discernenda sunt.

4. *Caussa impulsiva* varia esse potuit: dum alii instrumenta *ambitionis*, dominatus, violentiae, vel splendoris externi; alii *avaricia*, & opum conquireendarum; alii *voluptatis*, otii, luxuriae, vel *commodioris*

ris vitæ, per seryos comparare voluerunt; alii ut tranquilliori animo rebus majoris momenti vacarent, rem familiarēm aliis mandarunt; alii denique in opia pressi sustentationem suam per servitia quæsivere.

5. Pro varia autem causa impulsivæ ratione finis quoque hujus societatis variabit.

6. *Occasio* servitutis itidem varia esse potest: scilicet ex parte *heri*, opulentia, adoptio sobolis alienæ, potentia, victoria, dignitas, genus vitæ peculiare, &c. ex parte *servi*, paupertas, ingenii hebetudo, captivitas, &c.

7. *Modus* vero constituendi hanc societatem iterum est *pactum* inter futurum dominum & servum initum, quo hic servitia & obsequium, ille mercedem vel sustentationem vitæ promittit.

Ad §. 2.

8. Atque ex hujus pacti legibus & fine judicandum, quo usque & potestas domini in servum, & servi obligatio adversus dominum sepe extendat: unde diversi servitutis gradus, diversaque servorum conditio enascuntur.

9. Scilicet vel ultro quis servitutis iugum subiicit, vel belli fortuna coactus id fecit.

10. Vel

10. Vel ad tempus, vel in perpetuum servitiis alienis sese addixit.

11. Vel in absolutam, vel in conditionatam ac certis limitibus circumscriptam servitatem consensit.

12. Servitus, quæ ultro, ad tempus, & conditionate subitur, *mercenaria* audire solet, cujus indoles ad locationis operum naturam quam proxime accedit.

13. Vi hujus igitur dominus nil poterit quidem exigere a servo; nisi operas & servitia promissa: quæ si pacto determinata non fuerint, ex consuetudine loci & societatis fine intelliguntur.

14. Sed ut finis obtineatur, competit domino jus dirigendi actiones servi, ad utilitatem familiæ, atque adeo præcipiendi, quid factu opus sit, quid a servo haud fieri debeat: idque in tantum, in quantum hoc fieri interest.

15. Quicquid etiam ejusmodi servus per operas domino locatas acquirit, domino acquirere censendus est: quamvis aliquid proprii habere servus per hunc contractum non prohibeatur.

16. Competet præterea domino jus a servo postulandi omnis damni reparacionem, quod ipsius culpa vel dolo datum fuerit.

17. Item-

17. Itemque jus terminandi controversias domesticas famulitii, quibus utilitas familiae impediri potest.

18. Quodsi in his servus sit refractarius, non aliud domino supererit remedium, nisi retentio mercedis.

19. Increpatio tamen verbalis nonnunquam pro ratione circumstantiarum locum quoque inveniet; & demum ejecatio e familia.

20. Imperium vero proprium dictum, cum puniendi facultate conjunctum ex hoc contractu non fluit, nec in statu civili opus erit: quamvis nonnunquam ab imperantibus concedi soleat.

21. At in statu naturali, imperium domesticum domini utique simul subeat servus mercenarius, oportet, quod tamen ad jus vitae & necis progredi haud posse videatur.

22. Vicissim dominus & servo tenetur ad mercedem & alimenta vel speciatim promissa, vel ex consuetudine debita.

Ad §. 3.

23. Si servitus ex pacto sit *perpetua*, tum eadem quidem jura & obligationes obtinebunt, quæ in mercenariâ occurribant, nisi, quod hæc sit temporaria, illa *perpetua*:

tua: quamvis ejusmodi servitutem non facile quis subiturus sit.

24. Sed attendendum tamen ad leges pacti, an perpetua tantum servitia promiserit, an simul proprietati domini se mancipaverit servus, & vicissim an certam ac definitam sibi mercedem, an vero indefinite perpetua alimenta aliaque necessaria vitae subsidia sibi stipulatus fuerit.

Ad §. 4.

25. Servorum *bello captorum* durior plerumque conditio est: cum penes vi-
torem stet, quas leges victo captivoque
præscribere velit, atque hostilis ira durio-
ra potius quam mitiora suadere soleat.

26. Quam primum tamen inter ejus-
modi victorem victimaque mutua fides
circa consociationem in familiam inter-
cessit, omnem antegressam hostilitatem
remissam censeri recte ab A. traditum est.

27. Unde & injuriam ejusmodi servo dominus facit, si crudelius eum tractan-
do præscriptos limites transiliat.

Ad §. 5.

28. Inter conditiones ejusmodi servo-
rum plerumque hoc esse solet, ut & cor-
pus & res eorum proprietati domini pror-
sus mancipientur: adeoque instar merci-
uti

um venire, & in alios pro lubitu transferri possint.

29. Cujus consequens est, ut libertate & existimatione civili prorsus priventur, atque ad conditionem brutorum tantum non redigantur.

30. Sed tamen juxta leges charitatis ac humanitatis ejusmodi servitutem temperandam esse, recte ab A. monitum est.

Ad §. 6.

31. Servitus quidem est status, qui per se non transmittitur ad heredes, sed tamen consequens hoc esse solet, ut proles ex servis parentibus nata, servilis etiam sit conditionis.

32. Ratio est, non quod fructus sequatur ventrem, sed quod alimenta ex bonis herilibus ejusmodi vernæ suppeditata, ab eodem refundi nequeant: unde libertatis pretio compensanda sunt.

33. Qualis autem conditio ejusmodi vernæ esse debeat, naturaliter definiri vix potest, cum ea ab arbitrio domini fere solo dependeat; cui tamen humanitatis leges itidem hic attendendæ sunt.

34. Ceterum potestas dominorum & conditio servorum, quæ naturaliter meo pacto nituntur, per leges civiles speci-
alius

aliùs circumscribi ac definiri solent: unde mores gentium circa servos mirifice variant.

CAPUT V.

De Caussis moventibus
constituendæ Civitatis.

Ad §. 1.

1.

Præter societas minores hactenus consideratas ortæ sunt aliæ majores, quæ *civiles*, seu *Civitates*, item *Res publicæ*, audiunt, atque in unione plurimorum hominum sub uno imperio consistunt.

2. Cum vero simul cum civitatibus iterum diversi hominum status sint orti, qui diversa etiam jura atque officia requirunt: hinc nata est peculiaris Juris naturæ pars, quod *Jus publicum universale* appellatur, atque jura & officia Imperantium & subditorum explicat: de quo adeo hic agendi locus.

3. Ante omnia vero in *originem civitatum* inquirendum, atque caussa investi-

O gan-

ganda, quæ impulerit homines, ut deser-
ta naturali libertate in civitates coirent:
de quo variæ extant Philosophorum sen-
tentiaz.

Ad §. 2.

4. Evidem Peripateticorum opinio
fuit, hominem natura esse animal politi-
cum, atque adeo per naturam ipsam ad
societatem civilem rapi: quæ hic recte ab
Autore refellitur.

5. Nam impellit quidem natura homi-
nem ad felicitatem suam promovendam;
verum etiam est, quod extra societatem a-
liorum homo miserrimus sit futurus; imo
impellunt hominem cupiditates ad socie-
tatem aliorum quærendam, ut vel ambi-
tioni vel avaritiæ vel voluptati satisfacere
queat; sed inde non necessario sequitur
naturalis ad societatem civilem instinctus.

Ad §. 3. 4. 5. 6.

6. Ratio asserti ex ipsa humanæ naturæ
& vitæ civilis indole deprompta est; ex
qua apparet, tantum abesse, ut homines
conditionem civilem naturaliter appe-
tant, ut potius maxime illam aversen-
tur.

Ad §. 7.

7. Autoris igitur sententia est, ob me-
tum

tum malorum, extra civitatem futurorum, ac spem securitatis in civitate obtinendæ, homines in societates civiles concessisse.

8. Veritatem sententiæ clariorem redditurus, primo supponit, malitiam hominum tantam esse, ut maxima mala homini ab homine sint metuenda,

Ad §. 8.

9. Deinde ostendit, præter civitates nihil procurandæ securitati sufficisse.

10. Non i. legem naturalem, quam homines quidem observare debebant, sed per malitiam non observant.

11. Nec 2. foedera, cum deficiente imperio civili ad fidem explendam paciscentes adigi satis nequeant.

Ad §. 9.

12. Nec. 3. metum divini Numinis, nec conscientiæ morsus: cum poena divina non statim urgeat, & in multis conscientia vel plane deficiat, vel affectuum intemperie vincatur.

13. Verum & hæc sententia, licet a recentiorum plerisque approbata, tamen hodie ab aliis rectius philosophantibus merito in dubium vocatur.

14. Scilicet primò supponit ea, ex instituto insignem hominum multitudinem convenisse, ac de constitutis civitatibus deliberasse, quod tamen veritati neutiquam consentaneum est,

15. Secundò non apparet ratio, quare mala, ab hominibus vel fortuito concurrentibus, vel pacto aliquo, citra nexum civilem, consociatis metuenda, non ab hominibus, simili nexus genere coniunctis, repelliri potuerint; & quare adeo fœdera securitati præstandæ non sufficerint.

16. Tertiò si mutuus metus adversus vim injustam caussa & origo civitatum esset, non impii, sed pii primum in civitates coaliissent, qui plus ab impiis metuere debebant: quod tamen historiæ sacræ oppidò adversum est.

17. Quartò isthac opinio meram speculationem philosophicam sapit, cum ramen origines rerum simul ad historiam spectent, ex qua prorsus aliam civitatum caussam colligere licet.

18. Potius igitur dicendum, primam civitatum caussam fuisse *malitiam* hominum ex pravis eorum affectibus natam, cui dein mutuus metus, ac spes majoris securitatis accessit,

19. Alios

19. Alios enim dominandi libido, alios auri sacra fames, alios commodioris vitæ spes ad invadendos ac opprimendos alios invitare solet.

20. Hinc ab initio mundi extitere homines improbi, callidi, rapaces, violenti, qui alios in consortium traxere, quorum deinde ope alios oppressere.

21. Sed quoniam ejusmodi turba nequissimorum hominum absque ordine, absque imperio, absque duce consistere diu non potuit: facile fuit iis, qui alios vel audacia vel calliditate superarunt, primo auctoritatem quandam, ac tandem ipsum imperium in ceteros sibi argare.

22. Atque sic inordinata improborum colluvies tandem in aliquam civitatis formam coaluit.

23. Jactis ita fundamentis, unoque ac altero ejusmodi valido corpore inter homines existente, facile fieri potuit, ut & probi ac innocentes, metu in primis improborum, in similia corpora coirent, ne ab aliis arctiori vinculo conjunctis opprimerentur.

24. Atque hæc Civitatum origo oppido cum antiquissima historia, a Mose con-

O 3 signa-

signata, convenit, quippe quæ non piis Patriarchas, Sethum, Noachum, Abrahamum, sed impios, Cainum ante, & Nimrodum post diluvium primos Civitatum conditores haud obscurè memorat.

25. Convenit eadem cum iis, quæ de latrociniis gentis in gentem passim ab historicis referuntur.

26. Et si denique per omnia iveris secula, regnorum præcipuorum ortus & incrementa perlustrans, vim & latrocinia potentiaz initia fuisse apparebit.

CAPUT VI.

De interna Civitatum Structura.

Ad §. 1. 2.

I.

Considerata prima Civitatum caussa, consideranda & interna earundem structura: circa hanc vero iterum & *finis*, & *materia*, & *forma* considerari poterit.

2. *Finis* Civitatum pro diversitate coëntium diversus est: alii enim *bellum* & *oppreſſum*

Oppressionem aliorum; alii *pacem* & *securitatem* intendunt. Prior *injustus* & *legibus naturalibus* adversus, posterior *hodie unicus* & *genuinus* & est & esse debet.

3. *Materia civitatis* est vel *remota*, atque hanc constituunt homines vel singuli vel in societatibus minoribus degentes, uno vocabulo *populus*: vel *proxima*, atque hanc absolvunt imperantes & parentes, sed qui demum introducta forma nascuntur.

4. *Hominum requiritur partim debita congregatio, partim sufficiens multitudo: sine neutrō enim finis obtineri potest.*

Ad §. 3.

5. *Forma* consistit in *nexus quodam*, seu *legitima voluntatum ad communem finem unionē*: atque hæc omnino necessaria est, cum *multitudo* licet *ingens*, nisi *unita*, ad *vim vel inferendam vel propellendam* invalida sit *futura*.

6. *Nexus iste* seu *unio* fit *consensu circa adhibenda media ad communem finem idonea*: *isque vel expressus est vel tacitus*.

7. *Hic colligitur ex unanimi ad eundem finem cooperatione, licet nunquam*

expresse inter se convenerint, & plerumque ex communi quadam necessitate ori-
tur.

8. Porro unio ista societatem producit vel *æqualem*, ubi singulis manet æqua po-
testas de rebus ad communem salutem ne-
cessariis statuendi : vel *inæqualem*, ubi uni
tantum, vel quibusdam, illa facultas cum
imperio in reliquos, competit.

9. Illa in fœdere & systemate civita-
tum : hæc in societate civili simplici, ubi
imperium & subjectio, deprehenditur.

10. Sed unio æqualis, ob ingenii hu-
mani inconstantiam, instabilis erit, sal-
tem non diutius duratura, quam persua-
sio utilitatis durat ; adeoque ad finem ci-
vitatis obtinendum haud erit idonea.

11. Unde arctior unionis modus acce-
dat oportet, cum imperio scilicet, seu fa-
cultate cogendi, conjunctus, obligans
eos, qui semel in eundem finem consen-
serint, ne amplius dissentiant.

Ad §. 4.5.6.

12. Necesitatem arctioris ejusmodi ac
inæqualis unionis producunt vitia inge-
nii humani, diuturnæ unioni adversa, quæ
Autor ad duo revocavit capita.

13. Sci-

13. Scilicet alterum est *diversitas inclinationum & judicii*, cum *bebetedine* s^ep^e ac *pervicacia*, conjuncta: alterum vero *torpore* & *aversatio* ultro faciendi, quod utile est.

14. Utrique occurritur, si & voluntates & vires singulorum ita subjiciantur unius vel paucis, ut non solum voluntas unius vel paucorum pro voluntate omnium habeatur; sed & unus ille vel pauci facultate gaudeant vires omnium ad communem salutem adhibendi, atque refractarios earrundem ope cogendi.

15. Hoc pacto igitur ubi & voluntatum & virium unio facta fuerit, tunc demum multitudo hominum in validissimum corpus, *Civitatem* nimirum, animabitur.

Ad §. 7. 8. 9.

16. His ita de fine, materia & forma civitatum in genere præsuppositis, jam de modo agendum, quo multitudo ante dicta in formam civitatis coalescere potuerit.

17. Secundum sententiam Autoris *duo pacta* & *unum decretum* ad extictionem civitatis requiruntur.

18. *Primum pactum* ineunt multi, in naturali libertate hactenus constituti,
O 5 quod

quod velint in societatem civilēm coire;
in quod omnes & singuli consentiant o-
portet.

19. Hoc pactum excipit *decretum*, de
forma imperii introducenda.

20. Decretum istud sequitur *alterum*
pactum inter futurum imperantem ac fu-
turos subditos, quo illi quidem summum
imperium cum cura salutis publicæ con-
fertur, hi vero ad obsequium ei præstan-
dum se obstringunt.

21. Verum vix est, ut ordinatam ejus-
modi & per pacta expressa factam primæ
civitatis coalitionem concipias.

22. Evidem consociatio aliqua pluri-
um æqualium, vel ex mutua cohabitatio-
ne, vel latrociniī exercendi, vel mutuæ
defensionis caussa enata, ante civitatem
utique supponenda videtur.

23. Sed modus coalescendi forte tu-
multuarius potius & quasi fortuitus, par-
tim violentus, partim voluntarius conci-
piendus.

24. Quin & easus diversi probe discer-
nendi: vel enim imperans sibi subditos
facit; atque sic unum tantum pactum &
quidem posterius; vel multitudo quædam
im-

imperantem quærit, atque sic duplex istud pactum locum habere potest.

25. Pacto isti posteriori adjici solent leges, quibus vel in genere ad salutem populi promovendam, vel ad specialem administrandi imperii formam ac modum adstringitur Imperans, quæ adeo *fundamentales* appellari solent, quod universa civitatis structura iis tanquam fundamentis nitatur.

Ad §. 10.

26. Hoc pacto constituta *Civitas*, definienda veniet societas inæqualis, Imperantem inter & subditos communis salutis ac securitatis caussa inita.

27. Civitas constituta considerari potest vel in ordine ad *Imperantem & subditos*, vel in ordine ad *alios*.

28. Illo respectu per modum status concipitur, in quo Imperantes & subditi existunt.

29. Hoc vero, ad modum personæ moralis compositæ, cui non solum sua voluntas, sed etiam sua jura & res competunt, & quam Imperans repræsentat.

Ad §. 11.

30. Voluntas Civitatis sese exerit per sum-

summum Imperantem, qui vel unus homo, vel unum concilium esse potest.

31. Si Imperans unus homo sit, illud pro voluntate civitatis habendum, quod uni isti homini placuerit; modo sana ratione gaudeat, sciens & prudens agat, circa negotia ad finem civitatis spectantia, & juxta præscriptum legum fundamentalium versetur.

Ad §. 12.

32. Si penes unum concilium sit summa potestas, illud pro voluntate civitatis habetur, quod majori parti placuerit; idque saltem tacite ita conventum esse præsumitur, cum commodior litium ac dissensuum evitandorum ratio haberi nequeat.

33. Aliud si expresse statutum sit, quæ pars concilii consentiens ad repræsentandam universitatis voluntatem requiratur.

34. Si pares sint sententiae discrepantes, nihil agetur.

35. Inter plures sententias discrepantes prævalebit, quæ singulis dissentientibus major est.

Ad §. 13.

36. Civitate constituta, duæ personarum

rum classes oriuntur, *Imperantium scilicet & subditorum.*

37. Imperans, pro varia Reip. forma, variis titulis insignitur, & vel *Monarcha* audit, itemque *Rex*, *Princeps*, *Imperator*, si Imperium penes unum est; vel *Senatus*, si penes concilium paucorum; vel *Populus* liber, si penes universos.

38. Titulus ejusmodi ab ipso etiam Imperante varie mutari potest, hoc effectu, ut a subditis pro tali haberi debeat, non vero, ut exteros etiam ad eundem ei titulum tribuendum adigere queat.

39. *Subditi* etiam *cives* appellantur; utriusque appellationis in ordine ad Imperantem idem effectus.

40. Sed in ordine ad alios subditos nomen *civis* sape prærogativam quandam connotat, ut intelligantur vel illi, quorum consensu civitas coaluit, vel qui de imperio civili participant, vel qui jurium alicujus Reip. vel alicujus municipii sunt capaces aut participes.

41. Sunt porro *cives*, secundum *Autorem*, vel *originarii* vel *adscitissi*.

42. *Illi*, ex mente ipsius, sunt, qui vel initio civitati nascenti interfuerunt, vel qui ex hisce sunt geniti, quos etiam *Indigenas* appellari mos est.

43. *His*

43. *H*ic vero sunt, qui civitati jam constitutæ accedunt, eo fine, ut fortunarum ibi sedem figant.

44. Sed cum initia Rerum publicarum plerumque sint obscura atque incerta; restius forte ad diurnitatem vel brevitatem temporis, quo cives fuerunt, respiciuntur, atque adeo in *veteres & novos* dispe- scuntur: quamvis hæc divisio non magnum videatur usum habere.

45. Civibus opponuntur *peregrini* seu *inquilini*, qui tantum ad tempus commorandi caussa in civitate versantur, ac tan- tisper quidem imperio ipsius subjiciuntur, sed ceteris civium juribus haud fru- untur.

Ad §. 14.

46. Potestas Imperantis in civitate, seu imperium civile uno vocabulo *Majestas* appellatur, de cuius origine & caussa varie inter doctos disputatum est.

47. Evidenter non immediate a Deo, sed potius ab hominibus productam esse majestatem, ex dictis de origine civitatum satis liquet.

48. At vero postea idem institutum humanum etiam a Deo approbatum fuisse, atque ad felicitatem humanam, pacem sci-

scilicet ac tranquillitatem societatis hu-
manæ directum , negari nequit.

CAPUT VII.

De Partibus summi Impe-
rii seu Regalibus.



CAPUT XI.

De Officio summorum
Imperantium.

I.

Majestas , seu potestas illa summa Imperanti in civitate competens, cum sit jus quoddam universale ex variis juribus particularibus compositum , natura ejus tum universem, tum speciatim quoad singulas ejus partes consideranda veniet.

2. Est autem *Majestas* summa potestas Imperanti in civitate competens, omnia ista faciendi, quæ, circa cujusquam læsiō- nem, ad salutem civitatis facere possunt.

3. Nascitur ista potestas ex obligatio- ne Imperantis ad salutem civitatis, cum- primis securitatem ejus ac tranquillita- tem, promovendam, quæ ex pacto, ab ini- tio

tio Imperantem inter & subditos inito,
ipſi incumbit.

4. Atque hæc obligatio sive hoc pa-
ctum est norma, ad quam, tanquam ad le-
gem, potestas ista exigenda, & ex qua
non solum specialia Imperantis officia,
sed etiam specialia jura, sive partes sum-
mæ potestatis, definienda erunt.

5. In omne enim istud & Imperans &
subditi consensisse videntur, sine quo fi-
nis, h. e. salus civitatis, obtineri non pot-
est.

6. Hoc igitur est, quod vulgo dicitur :
Salus civitatis suprema lex esto.

7. Huc ergo spectant, quæ Autor Cap.
XI. de Officio summorum Imperantium
tradidit: ex hoc enim officio jura summo-
rum Imperantium, ex juribus vero his of-
ficia subditorum deducuntur.

8. Primum itaque officium Imperan-
tis est, curare, ut civitas *interne* pariter at-
que *externè* secura ac *tranquilla* sit.

9. Hinc *pax* cum viciniis ceterisque ex-
teris pro virili servanda.

10. Et si forte pax haberi nequeat, quæ-
renda *belli auxilia*, ut vim vi repellere va-
leat.

11. Exinde nascitur *Jus belli & pacis*,
quod

quod sacerum sub se complectitur partim
iūs ea subditis imperandi, ac ordinandi,
sine quibus bellum geri non potest, par-
tum exteris bellum indicendi, adversus
eos dirigendi, ac per pacem finiendi.

12. Cum vero non belli tantum, sed
etiam pacis tempore ad salutem civitatis
nostræ promovendam sæpe aliorum auxi-
lio opus sit, mature de *fæderibus* amici-
tiaque vicinorum sibi prospiciat opotet;
Unde *Jus fæderum* emerget.

13. Eadem de causa nec *legationibus*,
quoties opus est, parcat: cum negotiis hu-
iusmodi cum exteris tractanda per inter-
nuncios sæpe commodius atque securius,
quam per ipsos Imperantes, expediti que-
ant. Inde & *Jus legatorum* Imperanti
competet.

14. Ad *internam securitatem* conser-
vandam, probe dirigendæ subditorum
actiones, ita quidem, ut simul ad ea, quæ
externam respiciunt securitatem, oculus
semper intendatur.

15. Cum primis *iustitiae* ratio habenda,
atque ut actiones civium ad tranquillita-
tem & decus civitatis componantur, lites
vero ac dissidia vel præcaveantur vel præ-
seindantur, providendum,

16. Ut vero justitia rite administretur, non solum bonæ leges ferendæ, sed etiam *judicia* constituenda, idque imprimis vindendum, ut & bohi *premias* & mali *pœnas* afficiantur. Unde *Jus legum* ferendarum, *jus judicorum*, & *jus circa premia & pœnas Imperanti* exercendum.

17. Sed cum summus Imperans noti omnibus negotiis per se ipsum gerendis par sit, de fidelibus ministris ac magistratibus sollicitus sit. Unde *Jus Imperantis circa officia publica*.

18. Porro *bonorum civitatis & civium curam* gerat: scilicet cum hæc omnia, quæ ad salutem internam & externam faciunt, sumptus requirant; ante omnia prouideat, ut opibus abundet civitas, ut exinde, quæ saluti publicæ impendenda sunt, exigere queat.

19. Eumque in finem & agriculturæ & opificiorum & commerciorum florem promoteat, atque adeo subditis acquirendi media procuret.

20. Hinc potestas summi imperii in bona civitate contenta, itemque *Jus dirigendi commercia, opicia & agriculturam* emergit.

21. Cum vero hunc in finem cives sæpi in

in *collegia*, seu societates minores, coire soleant, etiam illa ad decus & utilitatem civitatis dirigenda. Unde *Jus circa Collegia seu Universitates.*

22. Cumque fieri nequeat, quin exinde varii civium status ac ordines, diversaque istorum existimatio ac dignitas, enascantur; etiam circa *existimationem ac dignitatem* civium rite ordinandam ac dispertiendam & *officium* & *jus* quoddam Imperanti tribuendum.

23. Denique cum haec omnia ad salutem Reip. vergentia media maxime promoveantur per probam subditorum in artibus ac scientiis non solum, sed etiam bonis moribus institutionem, boni mores vero imprimis religione ac pietate nitantur: Imperans ante omnia religionis ac studiorum quoque curam gerat. Unde *Jus circa sacra Imperanti competens.*

24. Ceterum innoxiam libertatem subditis relinquat, nec eam ulterius restringat, quam salus civitatis requirit, nec imperium sibi arroget in ea, quæ imperio non sunt obnoxia.

25. Jura Majestatis, quæ ex his officiis profluunt, sunt vel *immanencia* vel *transcunctia*: quorum illa solos subditos ac in-

ternam civitatis salutem; hæc vero exteros simul ac externam civitatis securitatem, respiciunt.

26. *Immanentia* iterum duplicis generis sunt, dum alia circa profana, alia circa sacra versantur.

27. Ad priorem classem spectat 1) *jus ferendi leges*, 2) *jus judicia exercendi*, 3) *jus circa poenas, & præmia*, 4) *jus circa officia publica*, 5) *jus circa statum & existimationem vel dignitatem subditorum*, 6) *jus circa bona civitatis & subditorum*, 7) *jus circa collegia & universitates*.

28. Ad posteriorem classem pertinet *jus circa religionem & studia*.

29. *Transeuntia* maiestatis jura sunt: 1) *jus belli*, 2) *jus pacis*, 3) *jus fœderum*, 4) *jus legatorum*.

30. Omnia & singula hæc Majestatis jura regulariter quidem in uno subjecto unita esse debent: nihil tamen impediat, quo minus disjuncta esse, & a diversis subjectis independenti quadam ratione administrari queant.

CAPUT VIII.

De Formis Rerum publicarum.

Ad §. 1.

Diversus Imperantibus & subditorum nexus, & hinc enata diversa maje-
statem exercendi ratio, diversas
Rerum formas producit.

2. Est autem forma *Reip. vel effec-
tus*, ubi diversitas subjecti, majestateq[ue] ip-
dependentis ratione exercentis, specta-
tur.

3. Vel *accidentalis*, ubi ad alias circum-
stantias, cum primis bonam vel malam,
absolutam vel restrictam, exercendi ra-
tionem attendit.

4. Primo igitur ratione *subjecti*. Res-
publica vel *simplex* est vel *composita*; utra-
que vel *regularis* vel *irregularis*.

5. *Simplex* dicitur, ubi unus tantum
Imperans & unus populus: *composita* ve-
ro, ubi diversi Imperantes & diversi po-
puli, certo foedere inter se colligati.

Ad §. 2.

6. *Simplicis civitatis forma* iterum vel
p. 3 regu-

130 CAP. VIII. DE FORMIS RERUMP.

regularis est, ubi tota Majestas ab uno subiecto, h. e. uno homine vel uno concilio independenti ratione exercetur:

7. *Vel irregularis*, ubi majestas pluribus subjectis diversis vel divisim vel coniunctim independenti ratione competit.

Ad. §. 3.

8. *Regularis Reip. tres formæ sunt: nempe Monarchia*, ubi majestas penes unum est; *Aristocratis*, ubi majestas penes optimates est; *Democratia*, ubi majestas penes populum est.

Ad §. 4.

9. Quænam ex his formis alteri sit præferenda, dictu difficile est, cum quælibet habeat sua commoda & incommoda: de quibus in Politica dispiciendum.

Ad §. 5.

10. Si Formam accidentalem spectes, prout bene vel male administratur majestas, Republicæ vel *sane* vel *merbida* seu *corrupta* dici possunt.

11. *Morbidas efficiant vel vissa Imperium*, vel *vitia status ex ipso nexu Imperantem inter & subditos resultantia*.

Ad §. 6. 7. 8. 9.

12. *Vitia Imperantium vel in Monarchia, vel in Aristocratis, vel in Democratia,*

tia, vel in quavis civitatis specie occurrere possunt, atque ab A. satis clare delineata sunt.

13. *Vitia status* cum ex ipso nexu & statu civitatis, prout per leges fundamentales formatus est, orientur, semper irregularem faciunt Rēmpublicam: & licet irregularis ejusmodi Resp. ipsis legibus sit introducta, tamen nihil impedit, quo minus eadem morbidis Rebus p. accēnseri queat; quamvis Autori secus videatur §. 12.

14. Neque etiam officio boni cīvis repugnat, certam aliquam Rēmp. in qua degis, morbidam appellare: cum morbidum non statim sit contumeliosum, nec semper Imperanti possit imputari; immo potius officium boni Doctoris vel Consiliarii sit, scapham scapham appelfare.

15. Morbidas Resp. peculiaribus vocabulis distingui, & vel *tyrannidem*, vel *oligarchiam* vel *oecblocratiam* vocari, recte ab A. traditum, sed & recte observatum est, per isthac vocabula multos non tam morbum Reip. quam suum affectum aut displicentiam in præsentem statum Imperantemve exprimere.

16. Ceterum cum indoles Reip. irre-

22 CAP,VIII. DE FORMIS RERUM.

gularis in defectu nexus consistat; nexus vero iste varijs modis deficere possit, patet, varias quoque Reip. irregularis species esse posse, quas tamen omnes sollicite recensere non opus est.

17. Peculiaris eaque satis famosa ejus species est *Resp. mixta*, in qua iura maje-
statis ita sunt divisa atque sejuncta, ut qua-
dam a Principe, quadam ab optimatibus,
quadam a populo independenti ratione
exerceantur.

18. Dari Respublicas mixtas, exempla Reip. Anglicanæ pariter ac Polonicae du-
bitare non sinunt; sed nec de imperfectio-
ne illarum dubitari potest, cum sejuncta
majestatis iura infirmum civitatis nexus
satis arguant.

Ad §§. 23. 14. 15.

19. Composita civitas *Systema civili-*
sum audit, quod, Autore *Titio*, plenius de-
finiri potest, corpus civile ex pluribus ci-
vitatibus ita compositum, ut unaqua-
que civitas summum acplerumque etiam
plenum imperium habeat, sed ita limita-
tum, ut quadam ejus partes conjunctim
ab omnibus sint exercenda.

20. Constituuntur vel per *communem*
Regem, vel per *fædus*.

21. Prio-

21. Priori modo istud fit, ubi plures civitates sub uno capite ita coalescent, ut unaquaque juxta leges suas fundamentales administretur, omnes tamen in administratione nonnullorum majestatis iurum concurrant.

22. Nonnunquam vero plures civitates sub uno quidem capite conjunguntur, quæ tamen systema civitatum non efficiunt, sed vel in unam civitatem coalescent, vel separatae civitates manent.

23. Posteriori modo illud fit, ubi plures civitates in unum corpus coalescent, ita ut quædam majestatis iura conjungantur, quædam separati in administrent, sed absque communâ capite.

24. Porro systemata civitatum itidem sunt vel *regularia* vel *irregularia*.

25. *Irregularia* sunt, ubi majoris aliquius Reip. in primis Monarchia, vinculum tensum ita laxatur, ut provinciae sui juris sint, sub antiquis tamen schematibus, ut civitates sociæ, tam cum sub Capite, quam inter se, utcunq; connectantur.

26. *Irregularitas* vero consistit tum in *prava Provinciarum habitu*, quo sæpe nec sibi ipsis sufficiunt, nec ad efficiendum validum systema aptæ sunt, tum in *vinculi*

communis incertitudine & laxitate, quæ ex modo conjungendi & ex habitu corporum conjunctorum resultat.

27. Fundamentum igitur regularitatis & irregularitatis non in consensu gentium, nec in cerebro philosophorum, sed in ipsa civitatis natura querendū, quippe cujus anima in arctissima unione consistit, atque adeo regulam Rcp. recte fere habentis constituit.

CAPUT IX.

De Affectionibus summi Imperii.

ad §. I.

I.

MAJESTAS certis gaudet affectionibus seu attributis, quæ ex natura ejus consequuntur, illamque illustriorem reddunt, atque a ceteris iuribus eo clarius distinguunt.

2. Est scilicet *majestas summa*, est *divinitus*, est *legibus humanis soluta*, est denique *sancta*.

3. *Summa* dicitur, quod a nomine tanquam

quam superiore dependeat, nec alterius nomine exerceatur.

Ad §. 3.

4. Hinc & *αντεύθυνος* est, h. e. nemini velut superiori ad rationes reddendas tenetur: quamvis eidem non repugnare videatur, si eo usque limitata sit, ut rationes populo vel collegio sint reddendae.

5. An vero Imperans, salvo summo imperio, in casu delicti judicem habere possit, merito dubitatur: cum judicem habere, & tamen summum imperantem esse, sibi utique repugnare videatur.

6. Neque distinctio inter delicta levia & atrocia, itemque dubia & evidenter, dubium istud tollere videtur: cum non solum semper negaturus sit Imperans, esse delicta atrocia ve evidentia, sed etiam in tantum summæ ipsius potestati derogatur, in quantum Judicio, cuius sententia standum, obnoxius est: siquidem jurisdictio absque imperio exerceri non potest.

Ad §. 3.

7. *Legibus* humanis Imperans solitus est; quia ipse summus legislator est in civitate, nec alium legislatorem supra se agno-

agnoscit: unde facile de omnibus legibus a se latis dispensare potest.

8. Quamvis actiones subditorum juxta præscriptum legum susceptas pro lubitu e-lidore nefas sit.

Ad §. 4.
9. Denique & *sanc tus* est ac inviolabili-
lis, ita ut a subditis non sit lædendus, et
iam si hos vel tanquam homō, vel tan-
quam Imperans læserit.

10. Quodsi vero hostilem in Remp. a-
nimatum induerit, quin eidem tanquam
hosti resisti queat, dubitari non debet.

Ad §. 5. 6.
11. Porro imperium est vel *absolutum*
vel *limitatum*.

12. *Illud* est, ubi nulla peculiaris admi-
nistrandi ratio Imperanti præscripta est.
13. *Hoc* vero, ubi imperii exercitium
certis legum fundamentalium limitibus
circumscriptum est.

14. Differt ab *absoluto imperio despo-*
ticum seu *herile*, quod non solum actiones
subditorum plus justo restringit, sed et-
iam in bona ipsorum dominium sibi asse-
rit, atque adeo omnia ad privata com-
moda dirigit.

Ad

Ad §. 7.

15. Denique imperium est vel patrimoniale, seu cum potestate alienandi coniunctum: vel *usufructuarium*, seu *non-patrimoniale*, quod Imperans non nisi ex voluntate populi alienare potest.

16. Dari hujusmodi imperia, exempla loquuntur, quamvis in dubio non patrimonialia sint presumenda.

CAPUT X.

De modis acquirendi Imperium, in primis monarchicum.

Ad §. 1.

I.

Fundamentum imperii acquirendi est unicum, nempe & Imperantis & populi *consensus*: sed modi consensum eliciendi varii sunt.

2. Scilicet alias modus est *violentus*, alias *non-violentus* seu *ultroneus*, alias denique *mixtus*, qui ratione prioris Imperantis violentus, ratione populi ultroneus est, adeoque ad alterutrum horum modorum pro diverso respectu refetri potest.

3. Præ-

3. Præterea hi modi vel in *Monarchia*, vel in *Aristocratia*, vel in *Democratia* locum habere possunt: quamvis in Monarchiis multo clarius & frequentius sese exerant.

4. Imperium *Monarchicum* igitur acquiritur vel per *violentiam*, vel per *ultronem* populi consensum: prior modus *Occupatio*, posterior *Electio* vel *Successio*, vel *Alienatio* appellatur.

Ad S. 2.

5. *Occupatio* nimirum est, ubi victor viarmorum populum suam sub potestatem redigit.

6. Eaque vel *justa* est, si justa belli causa occupans nitatur; vel *injusta*, si justitia caussæ desit.

7. Priori casu licet justo occupandi imperium titulo occupans gaudeat, tamen non prius imperium in subjugatos exercere potest, quam in istud consenserint, cum ex statu belli in pacem transire absque mutuo consensu non liceat.

8. Gaudet interim jure, per intentata extrema mala consensum extorquendi: primo quod justa belli causa supponitur, unde de injuria illata conqueri nequeunt; deinde quod qui rem belli fortunæ commi-

mittunt, in ejus decisionem jam in antecessum tacite consentiunt.

9. Posteriori casu discernendum, an injustus invasor Democratiam in Monarchiam converterit, an vero, Monarchas vel Optimatibus ejectis, imperium sibi asseruerit.

10. Si prius, imperium sit justum, simul ac populus suo consensu istud firmaverit; quamvis, si crudelius præter fidem datam populo imperet, jure suo ex pacto quæsto iterum excidat.

11. Si vero posterius, invasionis iniqtas non prius purgatur, quam ubi pristini imperantes eorumque heredes, quibus ad imperium jus quæsitum fuerat, extincti fuerint, vel eo nomine transegerint.

12. Interea tamen subditos post consensum suum fides data valide stringit, si quidem tunc demum eam dederint, ubi pro expulso Imperante, quicquid ab ipsis postulari poterat, fecerunt.

Ad §. 3.

13. Alter modus acquirendi imperium, qui ultroneo populi consensu nititur, est *Electio* latiori sensu accepta; eaque vel *generalis* est vel *specialis*.

14. *Spec.*

14. *Specialis* dicitur, ubi in unam certamque personam imperium libero populi suffragio transfertur: quæ adeo toutes repetitur, quoties persona mutatur, atque *Regnum electivum* efficit.

15. *Generalis* vero est, ubi persona cum sua posteritate, imo aliquando etiam exteris, successive admittendis, eligitur. Atque hinc *Regna successiva* enascuntur.

Ad §. 4.

16. In utrisque, electivis scilicet & successivis nonnunquam *Interregnum* existit, h. e. status civitatis extraordinarius, ad tempus tantum duraturus, ubi civitas capite caret, eo quod vel Rex electus defunctus, vel familia regnatrix extincta est.

17. In hujusmodi interregno populus pristinæ quidem libertati restituitur, nondum tamen statim in dissolutam multitudinem degenerat: sed vel aliquam, licet imperfectam, civitatis formam, aristocraticæ vel democraticæ similem, retinet; vel saltem taciti cuiusdam pacti, ex continua cohabitatione colligendi, vinculo cohæret.

18. Nonnunquam *Interreges* seu *Vicarii* constituuntur, qui ad tempus summum Im-

Imperantem repräsentant, atque in subsidium civitatem administrant.

19. Ceterum integrum est populo in hac libertate constituto, vel ejusmodi caput iterum eligere, quod quoad jura priori per omnia sit æquale, vel novam civitatis formam introducere: In dubio tamen prius potius, quam posterius presumitur.

Ad §. 5.

20. Ubi per electionem generalem imperium non uni personæ, sed integræ familiæ delatum est, *successio locum habet*, vi cuius personæ familiæ regnaticis, justo ordine imperium generatim delatum acceptantes, citra novam electionem, istud acquirunt.

21. Sed cum successiva ista imperii acceptatio justo ordine fieri debeat, *ordo iste succedendi designandus erit*: id quod vel *arbitrio ultimi Regis*, vel *arbitrio populi* fieri potest.

22. Prius fit, ubi populus regnum cum potestate libere de eodem disponendi in Regem transtulit: posterius, si absque ejusmodi potestate transtulit.

23. Diversa hæc regnum transferendi ratio fundamentum est divisionis in re-

Q

gna

gna patrimonialia & usufructuaria, superius expositæ.

Ad §. 6.

24. Reges igitur, qui regnum ex voluntate populi in patrimonio habent, non solum de *successione mortis* caussa possunt disponere, sed & inter vivos istud vel totum vel ejus partem in alios transferre, idque vel expresse per *alienationem*, vel tacite per *prescriptionem*.

25. Successio autem, quæ fit mortis causa, vel *institutiva* est seu *testamentaria*, vel ab *intestato*.

26. Successio *institutiva* locum habebit, ubi Rex testamentum condiderit, atque heredem ac successorem designaverit.

27. Valet hujusmodi testamentum Regium, non tam ex voluntate Regis, quam populi: quippe in quam ultimo resolvuntur, cum populus ab initio hanc facultatem disponendi in Regem transtulerit.

28. Potest autem Rex per ejusmodi testamentum regnum vel inter plures liberos dividere, vel filium naturalem, vel adoptivum, vel extraœnum heredem instituere; ut recte ab A: observatum est.

Ad §. 7.

29. Ubi nihil a Rege dispositum, ad
VO-

voluntatem tacitam, quam alii presumunt vocant, recurrentum.

30. Sed ex quibus iudiciis ea colligenda sit, certis & exactis regulis definiri haud potest: cum in nulla re magis, quam in translatione bonorum suorum, voluntas humana variare soleat,

31. Nec certe successio privatorum pro regula esse poterit, ob insignem regnum & bonorum privatorum differentiationem.

32. Si vero ad æquitatem forte respiceret velis, nullus facile reperietur modus succedendi ab intestato receptus, qui non aliquam æquitatem præse ferat.

33. Quod si denique mores gentium sequendos, & secundum id, quod plerumque fieri solet, successionis controversias dijudicandas putas, regulæ quidem non deerunt, quales & apud Autorem reperiuntur: sed eæ, cum decoro civili duntaxat nitantur, vim juris non habebunt, nisi usu in aliquo regno receptæ sint, aut voluntas prioris Regis de iis attendendis satis constet.

34. Ob tantam juris succedendi incertitudinem, quippe quod meritis præsumptionibus & conjecturis nititur, difficillimæ

Q 2 ſæpe

sepe inter Principes controversiae oriuntur, dum quaelibet pars ex probabili quadam ratione jus suum deducere conatur: sed ut plurimum valet vulgatum illud; *beati possidentes, vel etiam potentes.*

Ad §. 8. 9. 10. 11.

35. Quod si *populus* arbitrium de ordine successionis sibi reservaverit, tum successio hereditaria ex electione aliquid admixtum habebit, atque adeo regnum ex successivo & electivo mixtum videbitur.

36. Exercebit autem *populus* istud jus, ordinem scilicet successionis, vel successorem designandi, vel *immediate*, vel *mediatae per Regem*.

37. *Immediate* istud exercebit vel *tacite*, si certum succedendi ordinem per consuetudinem introduci patiatur:

38. Vel *expresse*, si vel per leges fundamentales constituat, quis ordo succedendi in familia regia semel electa servari debeat; vel *indignum*, qui secundum ordinem receptum succedere debebat, excludat, aliumque extra ordinem eligat.

39. *Mediate* vero per *Regem* istud exercebit, ubi a *Rege* quidem per *testamentum* de regno disponi, ac successorem de-

designari, vel inter vivos in aliud istud transferri patiatur; ita tamen ut ista dispositiō non valeat, nisi consensu populi expresso vel tacito firmata fuerit.

40. Hæc igitur vera est differentia regni patrimonialis & usufructuarii, modique succedendi utriusque convenientis.

41. Non autem in eo differentia quærenda, quod in patrimoniali *ordo successio-nis originarie ab arbitrio Regis*, in usufructuarii vero *originarie a populi voluntate*, dependeat: cum in utroque jus & ordō succedendi ultimo in populi voluntatem resolvatur.

42. Quæ vero Autor de vario mode ac ordine succedendi, in regnis usufructuaris usitato, hic affert, quod scilicet is vel *simplicibus hereditatibus confimilis*, vel *peculiaris ratione temperatus esse posse*: ea quidem eò valebunt, ut intelligatur, hunc ordinem ac modum in hujusmodi regnis locum habere posse; sed an actu locum habeat ac receptus sit, illud ex specialibus cūjusque regni moribus, non vero generalibus juris naturæ regulis, aut incertis conjecturis, judicandum erit.

43. Secundum speciales igitur regnum usufructuariorum consuetudines, ac

prudentiae regulas, Successio vel *bereditaria simplex* vel *linealis* esse potest.

44. In *successione bereditaria simplici* quis modus ac ordo secundum prudentiae regulas observari debeat, bene quidem ab Autore §. 9. traditum est, sed fundatum juris ex illis regulis tum demum deponi poterit, ubi, hunc ordinem in aliquo regno receptum esse, constiterit.

45. *Successio linealis* est, ubi inter plures lineas collaterales ea præfertur, quæ stirpi regnatrici propior est, licet in lineis remotioribus forte alii sint gradu propinquiores.

46. Est ea vel *cognatica*, ubi & foeminae ad regnum vocantur, sed non nisi masculis pari gradu deficientibus: vel *agnatica*, ubi soli masculi, exclusis foeminis, succedunt.

Ad S. 12.

47. Lites super successione exortæ vel per arbitrorum judicium, vel per bellum dirimendæ erunt.

CAPUT XI.

De Officio summorum
Imperantium.

HOC caput, quatenus ad Jus naturæ spectat, jam superius cum cap. VII. de partibus summi imperii coniunctum fuit: eo quod ex officiis summorum Imperantium eorundem jura proficiscuntur. Regulæ prudentiae vero, quæ hic regulis juris saepe admixtæ sunt, ad Politicam pertinent.

CAPUT XII.

De Legibus Civilibus in
specie.

Ad §. 1. 2.

I.

Agitur in hoc Capite de Potestate Legislatoria, seu jure summi Imperantis dirigendi actiones subditorum per Leges.

2. Dicuntur ejusmodi leges, ab Imperante præscriptæ, civiles, seu positive, ab Autore hic satis clare definitæ.

Q. 4

3. Ne-

3. Necessariæ sunt ejusmodi leges in civitate, quoniam pax & tranquillitas in tam vasto ex tot diversis ingeniosis conflato corpore obtineri vix posset, nisi adesset norma uniformis, ad quam omnium ac singulorum civium actiones compонentur.

4. Non vero nisi summo Imperanti jus competit in civitate leges ferendi, cum præcipua summi imperii vis in dirigendis civium actionibus & cōgēndis refractariis sc̄e exerat.

5. Exercet igitur istud vi summi imperii a civibus ipsi detinēti, atque adeo absque sociali horum consensu, nisi aliter conventum, atque legibus fundamentilibus cautum sit.

6. Perinde autem est, sive Imperans ipse per se immediate leges condat, sive mediaze per alios, scilicet privatorum institutis aut decretis vim & autoritatem legis tribuendo.

7. Hinc naturam legum induunt *mores* & *consuetudines*, tacite vel expresse ab Imperante confirmatae, *leges extraneæ* consensu Imperantis receptæ, *decreta* summorum *tribunalium* vel *collegiorum juridicorum*, *statuta* *magistratum* *inferiorum*,

tum, itemque *collegiorum opificum*, ab Imperante probata.

Ad §. 2.

8. Sunt autem leges, quas Imperans fert, vel *mere civiles*, vel *mixta seu secundum quid tales*.

9. Leges *mere civiles* sunt, quæ totam suam originem debent voluntati Imperantis, & versantur circa illa, quæ lege naturali plane non sunt definita.

10. Leges *civiles mixtae seu secundum quid tales*, nihil aliud sunt, quam ipsæ leges naturales, quas lex civilis vel confirmavit, vel circa quas aliud quid constituit, ita ut jam vim & naturam legum civilium accipient.

Ad §. 3. 4. 5.

11. Quando autem Imperans legibus *naturalibus vim & naturam legum civilium* tribuit, versatur vel circa leges *obligantes* vel circa *permittentes*.

12. Circa *obligantes* leges primùm Imperantis est, efficere, ut in vita civili observentur: cum per earum observantiam salutem Reip. maxime promoveri, nullum sit dubium.

13. Efficiet autem istud, 1) si easdem publica promulgatione repeat, & quoad

specialiores imprimis conclusiones clarius proponat, vel prava consuetudine forte oblitteratas in usum revocet.

14. 2) Si sanctione poenali eas gnu-
niat, delictis contra easdem admissis poe-
nas dictando speciales & arbitrarias, quip-
pe quas jus naturae ignorat.

15. 3) Si remedia coactiva, qualia sunt
actiones judiciales, quibus refractarii ad
faciendum officium adigi queant, intro-
ducat.

Ad §. 6.

16. Deinde potest Imperans ea, quæ
jure naturæ indefinite præcipiuntur, spe-
cialius definire, ac secundum circum-
stantias modi, temporis, loci, persona-
rum, aliasque, determinare.

17. Denique potest Imperans juri na-
turæ efficaciam denegare, quam habere
poterat in foro civili; dum vel conven-
tiones actione destituit, vel actus illici-
tos impunes relinquit, vel per fictiones
etiam & annulationes materiam subdu-
cit, quo minus principia juris naturalis ei-
dem applicari queant.

Ad §. 7.

18. Circa ea, quæ juris permissivi sunt,
Imperans ita versari potest, ut vel neces-
sita-

sitatem obligationis iis imponat, vel prorsus eadem vetet, vel saltem libertatem agendi restringat, vel certam formam ac modum agendi praescribat.

Ad §. 8.

19. Effectus legum civilium est *obligatio*: de qua tamen distincte pronuncian-dum.

20. Primùm quidem *subditos* omnes & singulos, cujuscunque sint conditionis, nemine excepto, illis obligari, nullum est dubium.

21. Sed & *extraneos* nonnunquam actiones suas iis attemperare oportet, si nempe vel bona in alieno territorio possideant, vel ad tempus in eodem commorentur, atque actus suscipiant, qui in praecipuum civium vergere queant.

22. Porro actiones non intellectus sed voluntatis, non internæ sed externæ, non praeteritæ sed futuræ, seu post legem latam susceptæ, iis subjacent.

23. Neque vero in conscientia obligare leges mere civiles dici poterunt, cum nonnisi actiones externæ Imperio civili subjectæ sint: nisi quatenus transgressio eorum vel cum laesione alicujus, vel cum turbatione Reip. conjuncta sit.

24. Fun-

24. Fundamentum quoque obligatio-
nis diversum est: præcipitur enim vel
prohibetur aliquid vel sub *metu pæne* pro-
prie dictæ, vel sub metu *irriti seu nullita-*
tis, vel denique sub *comminatione restitu-*
tioñis vel *coactionis judicialis*.

Ad §. 9.

25. Ceterum non solum legibus gene-
ralibus, sed etiam *specialibus* summorum
Imperantium *jusris* seu *mandatis* a civi-
bus obtemperandum esse, utique tertum
est, modo sint justa nec legibus divinis
contraria.

26. Quod si igitur Imperans actionem
præcipiat, legibus divinis prohibitam, an
subditus eam sine peccato exequi possit?
quæstio est, ad quam Autor distincte qui-
dem respondet, sed distinctio inter *actio-*
nem propriam & actionis alienæ executionem
ambigua est.

27. Ergo cum *Titio* potius distinguen-
dum, utrum *injustitia* sit *dubia*, an vero
evidens ac *certa*. Priori casu excusatio-
nem meretur subditus: sed posteriori ob-
sequium recte denegat, nec sine crimine
istud præstare potest.

28. Pertinet ad potestatem legislato-
riam quoque i) *Jus interpretandi leges au-*
thorizan-

ebentice, ita ut ea interpretatio instar legis sit.

29. 2) *Jus dispensandi*, seu eximendi aliquem in hoc vel illo casu ab obligatione legis.

30. 3) *Jus concedendi privilegia*, quæ personæ, cui conceduntur, singulare quoddam jus tribuunt, atque a communis legum obligatione eximunt, respectu ceterorum vero subditorum legis vim habent.

31. Dividuntur privilegia in *gratiosa*, quæ ex mera gratia, *onerosa*, quæ pro certo pretio, & *remuneratoria*, quæ ob meritata conceduntur.

32. Priora revocari posse a Principe, quandocunque libuerit, alii contendunt, non vero posteriora duo genera, nisi salus Reip. exigat.

33. Sed cum Princeps, privilegium revocaturus, nunquam non salutem Reip. obtendere possit, differentia in effectu nulla esse videtur.

34. Adeoque jus, quod quis ex privilegio nanciscitur, respectu civium quidem satis perfectum, respectu Principis vero imperfectum erit.

35. 4) *Jus abrogandi leges* itidem nemini

mini nisi summo Imperanti competet, idque vel expresse vel tacite, ut legum constitutio, fieri potest.

CAPUT XIII.

De Jure vitæ & necis.

Ad §. 1.

I.

Competit summo Imperanti *jus vitae & necis*, in casibus, ubi salus universæ civitatis non aliter, nisi per mortem nonnullorum civium, obtineri potest.

2. Complectitur istud partim *jus cogen-
di* subditos *ad bellum*, partim *jus eosdem
puniendi ob delicta*: Illud ad externam,
hoc ad internam securitatem spectat.

Ad §. 2.

3. Potest igitur Imperans subditos propter salutem publicam ad militiam com- pellere, atque vitæ periculo exponere: cuim subditi in omnia ea consenserint, si- ne quibus salus civitatis conservari non potest.

4. Eundem ob finem ad vigilias agendas, nec non exercitia militaria eos cogere, at- que

que adeo ad pericula strenue subeunda præparare potest.

5. Subditis vero neque ad militiam impeditos sese reddere, licebit, neque assignatam stationem deserere, nisi Imperantem, vitam potius quam locum conservari, velle intelligant.

Ad §. 3.

6. Sequitur *jus puniendi* subditos ob delicta, quod Imperanti itidem vi summæ potestatis competit.

7. Complectitur istud partim *jus leges poenales ferendi*, ac poenas pro varietate delictorum determinandi, partim easdem ad subditos delinquentes applicandi, & non solum pro natura delicti certum poenæ genus decernendi, sed & istud executioni mandandi.

8. Exercet autem Imperans illud vel *immediate* per se, vel *mediata* per alios, dum vel patribus familias potestatem modice puniendi suos concedit, vel magistratus inferiores constituit, qui *jus puniendi* ipsius nomine exerceant: unde *jurisdicção criminalis* oritur.

Ad §. 4.

9. Est autem *Pœna* malum, quod ab Imperante subdito, ob delictum, ad inter-

nam

nam Reip. securitatem ac tranquillitatem conservandam, legitime imponitur.

10. Nihil vero interest, sive malum passionis, sive actionis sit; sive vitam, sive corpus, sive famam, sive bona afficiat: modo regulis justitiae ac prudentiae sit conforme.

11. Differt præterea poena a reparacione damni, quod præter hanc illa quoque exigi possit, atque haec utilitatem privatam, illa publicam respiciat.

12. Et cum poena non nisi ab Imperante ob delictum infligatur, patet inter pares poenam locum non habere.

13. Adeoque nullum dari bellum punitivum, nec mala bellica poenæ rationem habere.

14. Neque poenas conventionales, neque mala per injuriam ac citra delictum illata, poenas proprie dictas esse.

Ad §. 5.

15. Fundamentum *juris puniendi* est pactum, inter Imperantem & subditos ab initio initum, vi cuius utrique, adeoque & ipse delinquens, in omne id consensere, sine quo resp. salva esse non potest.

16. Unde sequitur, consensisse etiam subditos in jus Imperantis, eosdem ad obser-

servantiam legum per repræsentatum ma-
lum aliquod molestum , h. c. per poe-
nas , cogendi : cum sine observantia le-
gum resp. salva esse nequeat,

17. Sed & illud inde fluit , obligatum
quoque esse Imperantem ad irrogandas
pœnas , ubi saluti Reip. aliter consuli non
posse perspiciat.

Ad §. 6. 7. 8. 9. 10.

18. Unde porro liquet , non esse delicta
punienda propterea tantum , quod per-
petrata sunt , atque ut delinquenti vicis-
sim ægre fiat , læsisque animus pascatur ;
sed ut salus Reip. per pœnas promovea-
tur.

19. Igitur genuinus pœnarum humana-
rum finis probe considerandus , qui vel prin-
cipalis est , vel principali subordinatus .

20. Principalis non aliis est , nisi tran-
quillitas & securitas Reip.

21. Hæc autem promovetur , si vel de-
linquentis emendetur , vel enervetur , vel
e medio tollatur , vel alii a delinquendo
absterreantur : qui adeo fines priori sub-
ordinantur.

22. *Expiatio* vero , seu *satisfactio* , qua
justitia fieri dicitur , inter fines pœnarum

R

hu-

humanarum locum habere haud posse
videtur.

Ad §. 11. 12. 13. 14.

23. Ex fine pœnarum quoque patet non alia delicta regulariter esse punienda, nisi quibus tranquillitas Reip. turbatur.

24. Hinc pœnae civili non subjacent *actus mere interni*, utut vitiosi: tum quod per pœnas non possint extirpari, tum quod iis nemo lædatur.

25. Fieri tamen potest, ut nonnunquam nuda quoque voluntatis decreta & internæ mentis cogitationes pœnis coércentur, si nempē extērius sese exeruerint, & per verba vel facta manifestata fuerint.

26. Ceterum ex eadem ratione nec *erroris intellectus*, etiam qui circa religionem admissi videntur, atque *hereticos* nomine notari solent, pœnis subjici debent: modo sub prætextu religionis Resp. non turbetur.

27. Eodem modo *communes* hominum nævi, ac *levissimi lapsus*, a pœnis sunt im- munes, quatenus vel in pravis voluntatis affectibus consistunt, vel etiam ex iis, ci- tra tamen læsionem alicujus, profluunt.

28. Cum vero Reip. intersit, ut hujusmodi nævi, quantum licet, restringantur
atque

atque imminuantur; dubium non est, quin & fomenta ipsorum, & graviores excessus, licet directe Remp. non turbent, sub poena prohiberi possint.

29. Nec ejusmodi actus sub poena solent præcipi, qui splendidiores videntur, si non intuitu poenæ fuerint suscepti, quales sunt officia humanitatis: quamvis & non-nunquam utilitas Reip. suadeat, ut etiam ad ista per leges poenales homines adiungantur.

Ad §. 15.

30. Cum jure puniendi conjunctum quoque est Jus poenas vel remittendi, vel mitigandi, vel exasperandi, pro variis delictorum circumstantiis.

31. Prius vocatur *Jus aggravandi*, quod toties ab Imperante exerceri potest, quoties justæ adiungunt caussæ, ex utilitate Reip: meriendæ, quarum varia genera & exempla ab A. afferuntur: sed hæc rite dijudicare, ad prudentiæ regulas pertinet.

32. Ad id vero, an lex sit dispensabilis, non videtur Imperanti attendendum, cum leges naturales nullas delictorum poenas determinent, positivæ vero, dum ab Imperante dependent, omnes sint dispensabiles.

Ad §. 16. 17. 18.

33. Ceterum pœnæ ita ab Imperante determinandæ sunt, ut delictis sint proportionatæ, h.e. ut probabiliter sufficere possint ad libidinem peccandi reprimendam.

34. Igitur æqualibus delictis æquales etiam pœnæ; gravioribus vero delictis graviores, levioribus mitiores pœnæ statuendæ.

35. Fieri tamen potest & solet, ut vel inæqualibus delictis æquales pœnæ, vel æqualibus delictis inæquales pœnæ implicantur.

36. Id autem fit, vel ob defectum majoris pœnæ, vel ob lubricam delictorum & pœnarum æstimationem, vel ob inæqualem malitiam idem delictum patrantium, vel ob inæqualem ejusdem pœnæ sensum, pro varietate personarum variantem,

37. Igitur ut justa pœnarum proportio observari possit, partim delictorum indoles & quantitas, partim delinquentis persona & qualitas, consideranda.

38. Circa delictorum indolem & quantitatem, h.e. gravitatem vel levitatem, attendendum cum ad majorem minoremve de-

delinquentis malitiam, ex variis circumstantiis æstimandam, tum ad majus minusve damnum in Remp. redundans.

39. Circa delinquentis personam & qualitatem respicienda ejus ætas, sexus, status, opes, vires, & similia, atque hinc metendus major minorve pœnæ sensus ac dolor.

40. Et pro harum circumstantiarum varietate pœnæ vel exasperandæ vel mitigandæ sunt: idque tum in legum pœnaliūm sanctione, tum in carundem ad delicta applicatione attendendum.

41. Sed haec ad regulas prudentiæ vel legislatoriæ vel judicialis potius, quam justitiæ pertinent.

Ad 5. 19. 20.

42. Non est autem puniendus, nisi qui delinquit: adeoque delicti alieni pœnas nemo luere debet, licet occasione illius sape incommodum innocens sentiat.

43. Hinc si universitas peccavit, non puniuntur, nisi qui vere peccarunt, licet reliqui occasione illius delicti sape prijlegia universitatis amittant.

44. Nec liberi pro parentibus, aut parentes pro liberis puniendi; licet, bonis parentum ob delictum fisco addictis, liberi ad inopiam redigantur.

45. Denique & fidejussor, qui pro reo aufugiente solvere cogitur, non tam punitur, quam secundum obligationem, quam sponte sua in se suscepit, excutitur.

46. Unica supereft quæftio; an delinquens ad pœnam obligetur? quæ pro difverso sensu & affirmari & negari posse videtur.

47. Scilicet si necessitatem intelligas pœnas dandi, quæ juri casdem exigendi respondeat, obligatus utique dici poterit ad pœnam delinquens, non minus ac laedens ad reparationem damni obligatus est.

48. Sed si spontaneam ad pœnam obligationem a delinquentे vi hujus obligationis requiras, tanquam officium legibus naturæ præscriptum; ejusmodi quidem obligatio neganda videtur: quippe quæ & naturæ humanæ & pœnarum indoli adversatur; cum pœnæ sint media cogendi homines ad officium, non ipsum officium.

CAPUT XIV.

De Existimatione.

Ad §. I.

I.

COMPETIT sine dubio Imperanti quoque *jus circa existimationem* subditorum vel augendam vel minuendam, prout utilitas Reip. exigit: hinc de *Existimatione* in genere hic agitur, quamvis loco minus congruo, cum ad jus privatum haec materia pertineat.

2. Est autem *Existimatio* in personis idem quod pretium in rebus, scilicet valor, vi cuiusquis bonum aptumve societatis humanae membrum habetur, atque hoc intuitu aliis vel equiparatur, vel antefertur.

3. Sumitur existimatio vel pro *qualitate* personæ, vel pro *judicio* de personæ bonitate vel malitia, vel pro *jure*, existimationis nomine nobis competente.

4. Eadem eodem triplici sensu dicitur *fama*, si ad plures, bene de nobis sententes, sese extendat.

5. Oppositum est *infamia*, quæ defecitum bonæ existimationis vel famæ ex

R 4

delictis ortum denotat. Si vero hæc indicis parum idoneis aut mendaciis nitatur, *sinistra opinio* audit.

6. Cum autem bona existimatio ac fama inter bona hujus vitæ merito reputanda sit; nascitur hinc *jus existimationis*, seu *jus exigendi existimationem sibi debitam*, & ubi lædatur, defendi ac vindicandi: cui ex altera parte respondet *obligatio* eam agnoscendi nec violandi.

Ad §. 2.

7. Dividitur existimatio secundum A. in *simplicem* & *intensivam*; utraque iterum vel in *statu naturali* vel in *statu civili* consideratur.

8. Intelligitur autem status naturalis, qui inter diversas Respublicas, earumque tum Imperantes tum subditos occurrit.

Ad §. 3.

9. *Existimatio simplex* in *statu naturali* est *valor ex communi probitate*, seu *qualicunque legum naturalium*, *cum primis regularum justi, observantia ortus*.

10. Vi hujus igitur quilibet vir bonus atque aptum societatis humanæ membrum jure censendus est: donec enoribus delictis, contra *jus naturæ* comisis, hoc nomine *indignum* se reddat.

II. Ejus-

II. Ejusdem vi omnes homines, legem naturæ observantes, manent *æquales* etiam moraliter, uti ratione naturæ sunt *æquales*: cuius *æqualitatis* effectus est, quod nemo jure, quo ceteri mortalium fruuntur, indignus sit existimandus.

Ad §. 5. 6.

12. Amittitur existimatio simplex in statu naturali vel in totum vel ex parte per delicta contra leges naturæ, & quidem præcipue regulas justi, dolo malo admissæ.

13. Nam per peccata infirmitatis, & quæ regulis honesti & decori naturalis repugnant, opinio boni viri non statim extinguitur, modo animus justum sectari cupidus persistat.

14. Defectus hujus existimationis *infamia naturalis* seu *facti* appellari potest, non ex alia re, nisi dolosa aliorum lassione, existimanda; cuius & varii gradus dari possunt, ita ut in *minimam*, *mediam* & *maximam* dispesci queat.

15. Sed forte nullus ejus in statu naturali effectus est, cum *æqualibus* in *æquales* nullum judicium cum effectu juris competit.

16. Distinguuntur tamen ab A. gradus, ita, ut *diminuatur* tantum existimatio ista

per facinora quædam enormia; *consumatur* vero per genus vitæ, tranquillitati societatis humanæ directe contrarium.

17. Effectum horum graduum esse putat, quod priori casu majori circumspetione opus sit, ubi cum illis agere velis; posteriori vero, tanquam hostes ab omnibus tractari possint.

18. Sed prius non est effectus juris, nec posterius locum habebit, nisi ab ejusmodi hominibus læsus sis, ob rationem modo dictam.

19. Interim cessare hanc labem, cessante improbitate, palam est: quamvis difficilior longe sit famæ reparatio, quam amissio.

Ad §. 7.

20. In *statu civili existimatio simplex* eodem, quo in *statu naturali*, fundamento nititur, hoc tantum discrimine, quod ibi ad leges naturales solum, hic ad civiles quoque respiciatur.

21. Effectus hic est, quod quilibet bonus civis, & aptum Reip. membrum jure sit reputandus, juribusque ceterorum ci-vium gaudeat, donec factis suis se hoc jure indignum reddat.

ad

Ad §. 8.9.

22. Amittitur ea , secundum Autorem aliosque , in civitate vel per *status mutationem* , vel per *fordidum vite genus* , vel *natalium infelicitatem* , vel per *delictum* .

23. Illud fit , si quis omni jure civis & liberi hominis excidat , atque adeo infra sortem ceterorum subditorum abjiciatur ; licet existimationem simplicem hominis in statu naturali obtinentem retineat .

24. *Istud accidit partim spuriis partim excoriatoribus similibusque* , qui per *vite genus aut natales* saltem honestorum *civium numero non censentur* , & licet non omnibus , tamen quibusdam *civium juribus* excidunt , salva existimatione naturali : qui defectus *levis note macula* haud incongrue dicitur .

25. *Hoc denique fit vel per delicta , quæ in civitate tolerantur , vel per ea , quæ non tolerantur.*

26. Si delicta in Republica tolerantur , ita ut peculiarem quasi statum efficiant delinquentes , uti circa lenones & meretrices interdum accidit : tum eodem fere numero hujus furfuris homines esse videntur , quo sunt levi macula notati , imo forte adhuc deteriores , cum & naturalem honestatem perditum eant .

27. Si

27. Si non tolerantur delicta, *infamia* vel naturaliter sequitur, vel legis ac iudicis decreto delinquenti inuritur: priori casu dicitur *infamia facti*, posteriori *infamia juris*; quod poenæ genus non prorsus absurdum videtur.

28. Sed si rem recte pensites, unicus tantum modus datur existimationem simplicem in civitate vere amittendi, scilicet delicta, adversus leges justitiae naturales vel civiles patrata.

29. Atque hic modus unicè veram propriè dictam *infamiam* vel *facti* vel *juris* operatur, suis itidem gradibus distinctam.

30. Ceteri modi, velut status mutatio, sordidum vitæ genus, natalium defectus, non infamiam proprie, sed *visitatem* producunt, quæ ab honoribus quidem, aliisque civitatis juribus quibusdam vel omnibus excludit, sed infamem non reddit.

Ad §. 10.

31. Circa potestatem Imperantis in existimationem subditorum quæritur, an existimatio simplex ab eo citra antegressum delictum subdito eripi possit?

32. Sed distingvendum inter existimationis internum fundamentum, & exter-

na

na emolumenta: prius netmini eripi potest, bene vero posteriora, sed an juste, alia quæstio est.

33. Quæstio etiam injicitur, num minister injustum Imperantis mandatum exequens infamis fiat? quæ affirmanda, si injustitia certa; neganda, si dubia sit.

Ad §. 11. 12. 13. 14.

34. Existimatio intensiva, est valor, viculus aliquis, ob præstantiam vel dignitatem, honore dignus judicatur, vel alteri præfertur.

35. Dividi illa potest in *naturalem & ci-
vilem*, seu, quod eodem recidit, in *etbi-
cam & politicam*.

36. *Naturalis* seu *etbica* est opinio aliorum de præstantia alterius, regulis honesti & decori attemperata.

37. Fundamentum igitur hujus existimationis est præstantia, & excellentia virtutis, illius quidem, quæ ex regulis honesti & decori fluit, atque cum aliis præclaris animi, corporis vel fortunæ bonis, cum primis potentia beneficiendi, conjuncta est.

38. Effectus ejusdem sunt *laus, honor,* & *gloria.*

39. *Laus* est declaratio opinionis nostræ

stræ de alterius præstantia per verba.

40. *Honor* est itidem significatio opinionis nostræ de alterius præstantia virtutis, cum potentia beneficiendi coniuncta, quatenus sit per facta.

41. Hic ubi latius spargitur, atque excellentioribus virtutis documentis nititur, *gloria* dicitur.

42. Sed cum laudare alium & honore, qui laude & honore dignus est, sint officia humanitatis, & actiones ex regulis amoris procedentes; patet, effectus existimationis hujus naturalis non produce re jus perfectum, neque adeo denegationem honoris & laudis virtuoso, etiam si potenti, dare vel actionem civilem, vel justam belli caussam.

43. Et cum inter honoris signa quoque sit, alii loco cedere, simul certum est, vi hujus existimationis naturalis neminem, præcedentiam ab altero jure perfecto exigere posse.

44. Quin & hoc patet, præcedentiam nec per præscriptionem acquiri: cum loco cedere sit res meræ facultatis, quæ nunquam præscribitur.

45. In praxi tamen hoc observare licet, in statu naturali eos merito præcedere

re

re alios, & honorem exigere ab iis, qui
ope ipsorum & beneficio maxime opus
habent: quod & in statu civili saepius usu
venit.

46. Deinde licet potentia nocendi non
sit justa causa honorem & praecedentiam
postulandi, est tamen justa causa eandem
exhibendi ipsis in personis cedentibus &
honorantibus.

47. Alia est ratio existimationis *civilis*
seu *politica*, quae est valor vel ex imperio,
vel conventione speciali, vel dispositione
legis ortus, juxta quem homines in con-
versatione civili, quoad actus externos,
quales aut inaequales habentur.

48. Fundamentum hujus existimatio-
nis idem præstantia virtutis quidem esse
debebat, sed raro est, & saepissime dignita-
tes conferuntur iis, qui minime illos me-
rebantur: omnia vero imperio, lege vel
pacto nituntur.

49. Effectus ejusdem existimationis
sunt *dignitas*, *prerogativa* & *precedentia*;
non autem semper verus honor, nisi in be-
ne meritis: illa tamen jus perfectum pro-
ducunt.

Ad §. 15.

50. Ex dictis patet, quid de praeceden-
tia

tia Principum sit judicandum: quippe quæ, nisi consensu aliorum Principum expresso vel tacito sit quæsita, jure perfecto exigi non potest, sed solis regulis decori nititur.

Ad §. 16.

51. In civitate existimatio civilis est vel *Imperantis* vel *subditorum*.

52. *Imperantis* existimatio seu eminencia ab ipso imperio oritur, cuius vi non solum obsequium, sed & veneratio ipsi a subditis debetur.

53. *Subditorum* existimatio vel a *lege* dependet, dum Imperans, vel dato munere, vel seorsim, dignitatem vel personalem vel hereditariam subditis confert; unde *jus nobilitandi & conferendi dignitates ipsi tribuitur*.

54. *Vela pacto*, si ipsi subditi inter se de prærogativa, quatenus est privati arbitrii, sibi invicem concedenda paciscantur.

CAP.

CAPUT XV.

De Potestate summi Imperii in bona civitate contenta.

Ad §. 1.

I.

Potestas Imperantis in bona vel respicit bona privata vel bona publica.

2. Prior vel ex dominio vel ex imperio refultat.

3. *Dominium competere potest Imperanti in bona privata*, si vel civitas originarie singulas res inter privatos distribuerit, ac proprietatem sibi reservaverit; vel privati ultra res suas Imperanti obtulerint.

4. Sed cum dominia privata utplurimum antiquiora fuerint imperio civili, rariusque accidere solet, ut vel concedantur bona privatis, reservata Imperanti proprietate, vel offerantur ei sub eadem conditione: *presumendum* potius *dominium privatum*, donec probetur contrarium.

5. Regulariter igitur Imperantis *jus in bona* privatorum *ex solo imperio* repetendum,

S

dum,

dum, ejusque vis quoad omnes, qui in Republica reperiuntur, merito afferenda, donec restrictio vel exemptione doceatur.

6. Est autem triplex imperium, quod Imperanti in bona subditorum competit: primum in *prescribendis legibus*, secundum in *exigendis subsidiis*, tertium in *dominio eminenti* sese exerit.

Ad §. 2.

7. *Jus prescribendi leges* circa bona subditorum varia iterum jura sub se complectitur, quibus usus bonorum privatorum ad utilitatem Reip. dirigitur.

8. Huc spectat (1.) *jus prescribendi modum acquirendi* vel *transferendi* rerum dominiam vel possessionem, atque super illis *contrabendi*, (2.) *jus condendi leges sumtuarias*.

9. (3.) *Jus dirigendi commercia*, (4.) *jus instituendi nundinas*, (5.) *jus concedendi jus stipulae*.

10. (6.) *Jus definiendi rerum pretiae*, (7.) *jus constituendi pondera, mensuras & unias*, (8.) *jus cuadendi monetas*.

Ad §. 3.

11. Alterum est *jus exigendi a subditis subsidia* ad salutem Reip. necessaria: atque adeo

adeo patrimonium publicum ex bonis subditorum colligendi: quod Imperantū competit, quoniam salus Reip, absque sumtibus conservari nequit, nec consensus subditorum ad hoc regulariter neces-
farius est.

12. Atque hæc subsidia tributorum ac
vestigalium nomine venire solent: hoc
tamen discrimine, ut per illa subsidia
tantum a subditis collecta, per hec vero
subsidia, non a subditis solum, sed & ex-
terioris, de importandis & exportandis solu-
ta intelligantur.

13. *Tributorum* tamen nomine generali-
ori comprehendendi quoque possunt, por-
tio de bonis emigrantium detracta, bona
fisco in pœnam adscripta, bona caduca,
& similia.

14. Cum autem jus tributorum & ve-
stigalium sit pars summae potestatis, pa-
tet, *magistratui inferiori* jus collectandi
non competere, nisi vel subditi consen-
tiant, vel Imperans indulgeat, vel extre-
ma necessitas exigat.

15. *Sub - collectandi* tamen jus nomine
& auctoritate Imperantis recte ab ejus-
modi magistratu exerceri potest.

16. *Determinatio etiam tributorum ra-*

tione quantitatis & modi nonnisi a summo Imperante sit: debet tamen necessitatibus publicæ, & impensis publico nomine faciendis, conveniens esse.

17. Imperari hæc subsidia possunt omnibus, qui vel in territorio degunt, vel sicut bona in eodem habent: nec quisquam immunis erit, nisi vel immunitatis privilegio gaudeat, vel nihil præstare possit.

18. Pari jure & vectigalia exigiri possunt non a subditis solam, sed etiam advenis, per territorium transiuntibus: ab illis quidem vi imperii, ab his vero vi pacti taciti.

19. Scilicet conceditur his commerciorum libertas, simulque securitas & viarum publicarum commoditas præstatur, sed sub conditione, ut ad expensas hoc nomine faciendas, & pro concessso jure, subsidia conferantur.

20. Ex eadem ratione, & propter jus in mare & littora Imperanti competens, non iniquum erit, si & navigantibus vectigal imponatur.

Ad §. 4.

21. *Dominium eminens*, quod tertio loco Imperanti afferitur, est jus & potestas, urgen-

urgente Reip. necessitate de bonis subditorum disponendi, eademque in usus publicos convertendi.

22. Aequum tamen est, ut illis, qui datum hac ratione perpessi sunt, istud vel de publico, vel a ceteris civibus refundatur.

Ad §. 5. 6.

23. *Bona publica*, quæ in civitate continentur, *patrimonium publicum* appellari solent, quod alicubi duplex est, vel Imperantis vel Reipublicæ, seu *fiscus & ararium*.

24. Illud ad sustentationem Imperantis, hoc ad utilitatem Reip. destinatum est. Circa prius Imperans usumfructum, circa posterius administrationem tantum habet.

25. Res, quæ ad patrimonium publicum spectant, sunt 1) *subsidia* ex bonis privatorum collecta, sive *tributa & vectigalia*. 2) *Res fiscales*, sive bona ad sustentationem Imperantis expresse destinata, quæ vulgo *domania* vocantur.

26. 3) *Ad expertas*, h. e. bona dominii privati expertia, sive quod commode a privatis occupari non potuere, sive quod actu occupata non sunt.

27. Ad postremam classem pertinent: lo-

ca deserta & inculta , sylvæ & montes ;
subterranea , metalla & mineralia , itemque thesauri , aliaque in fundis privatorum non reperiunda ; feræ bestiæ , volucres & pisces ; flumina , maria , littora , portus , insulæ , aliaque horum accessiones & proventus ; palatia , muri , portæ , fortalitia , & mobilia ad illa instruenda pertinentia .

28. Jus autem , quod Imperanti in hæc omnia competit , inde derivandum , quod quæcunque in territorio continentur , nec a privatis vel actu occupata sunt , vel occupari commode potuere , penes universam civitatem , quam Imperans representat , mansisse censenda sunt : quippe quæ simul cum territorio omnia territorio contenta occupavit .

29. Atque ita penes Imperantem est , an singulos ad promiscuum & communem harum rerum usum adhuc admittere , an eosdem ab illo excludere , & res illas in usus publicos convertere velit .

30. Ceterum posse hujusmodi bona ab Imperante , si necessitas & utilitas Reip. exigat , alienari , dubitari nequit , nec consensus subditorum ad id requiretur , nisi aliter cautum fuerit .

CAPUT

CAPUT XVI.

De Bello & Pace.

Ad §. 1. & 3.

1.

Sequuntur *jura majestatis transenniae*, quæ ad externam securitatem spectant, quæ inter primo loco se offert *jus belli & pacis*.

2. Sed notandum, aliter *jus belli* considerari *respectu aliarum gentium*, aliter *respectu subditorum & Republicæ*, cui imperans præst.

3. Priori respectu ad *jus gentium* spectat, & ex statu naturali fluit: posteriori vero respectu ad *jus publicum universale* pertinet, atque ad salutem Reip. adstricatum est.

4. Est autem *bellum* status hominum de jure controverso per vim certantium.

5. Licitum esse bellum, dubitari nequit; cum *jus naturæ* cuivis defensionem sui adversus injuriam aliorum concedat.

6. Licet enim *bellum* sit status præternaturalis, felicitati humanæ inimicus, quippe quæ in pace consistit: tamen ubi aliud medium pacem conservandi non supereft, quærenda sunt, permittente jure

naturæ, belli auxilia; tanquam remedium felicitatis humanæ extraordinarium.

7. Non semper tamen consultum esse, statim in bellum ruere, ubi lœsus fueris, sed prius viam amicam tentandam, præfertim si petas, regulæ prudentiæ utique dictitant.

Ad §. 2. Et. 4.

8. *Causæ* belli sunt vel *justæ* vel *injustæ*.

9. *Justæ* caussæ omnes ad injuriam alterius, sive lœsionem juris nostri recidunt; hinc enim nascitur nobis jus vel contra injustam aliorum invasionem nos defendendi, vel injuste ablata aut denegata vindicandi, vel damni per injuriam illati reparationem aut cautionem exigendi.

10. Unde patet, ratione *caussæ* omne bellum sua natura *defensivum* esse; quamvis ratione modi gerendi in *offensivum* & *defensivum* dispisci queat; dum vel ipsam invasionem tantum repellimus, vel hostem juris vindicandi aut damni reparandi caussa ipsi invadimus.

11. *Injustæ* caussæ sunt vel *aperte* tales vel *colorē* seu *justitiæ* speciem præ se ferentes, quarum exempla quædam ab A. afferuntur.

12. Sed aperte injustas belli caussas ne-
mo

mo facile allegabit: plerique juris quan-dam speciem seu prætextum obtendent;

13. Illud tamen hic advertendum, li-cet Imperans ab alia gente laceffitus ju-stam belli caussam adversus illam gentem nactus sit; tamen non statim juste bel-lum suscipi respectu suæ civitatis, nisi & hujus securitas eo ipso læsa sit, aut alias pe-riculum ei immineat: quoniam hoc pa-tio securitas publica, quam conservare debebat, in discrimen ambiguum voca-retur.

14. Ceterum hinc oritur divisio belli in *justum & injustum*: sed utriusque defini-tio facilior est in thesi quam in hypothesi.

15. Spectatur autem justitia vel injusti-tia *caussæ* potius, quam *modi* bellum ge-rendi: cum injustitia modi non facile de-terminari, aut effectum juris inter homi-nes habere queat.

16. Solent alias belli caussæ etiam divi-di *injusticas & suasorias*: illæ sunt, quibus justitiam caussæ nostræ peroramus, & vel vero vel apparenti jure nituntur: *hae* vero sunt arcanæ istæ, quæ ad bellum nos im-pulerunt, & sæpe sunt injustæ.

Ad S. 5. 6. & 12.

17. Posita justa belli caussa, datur nobis

S 5

facul-

facultas hosti quavis ratione nocendi: cum hæc ipsa sit propria belli natura, ut alter alteri noceat, quantum possit.

18. Idque vel aperta *vi*, vel *dolo* fieri potest: cum utroque modo finis belli obtineri possit.

19. Non vero per pactorum in bello iniutorum violationem: eo quod pacta sunt media ex statu belli in statum pacis deveniendi; quamvis & hæc violatio in bello non alium effectum habere possit, quam forte majorem animorum exacerbationem.

20. Sunt etiam modi quidam, qui jure stricto quidem sunt liciti, sed moribus gentium non recepti: his igitur, qui uti-
tur, non quidem contra regulas justi, sed tamen contra decorum gentium peccat,
quod *Raison de guerre* vocant.

21. Atque hinc patebit, quid *de armis licitis & illicitis, de veneno, magicis artibus, percussoribus, incendiariis*, quibus hosti nocere conamur, censendum sit.

22. Quousque autem nocendo in hostem progredi liceat, non facile determinabitur, & forte non præter rem dicitur, hosti in hostem omnia licere in infinitum, quamdiu scilicet nocendi animus in hoste
du-

durat; quoniam belli mala æque minus, ac vulnera, inferuntur ad mensuram.

23. Quodsi tamen vires hostis ita sint fractæ, ut mala inferenda fere dirigere possumus, regulæ honesti & decori præcipiunt, armorum impetum ita moderari, ut non plus mali hosti inferamus, quam defensio aut juris nostri vindicatio, aut futura securitas requirit.

24. Ceterum iusta via eo usque se extendit, ut hostium personæ non solum interficere, sed & res vastare, cique eripere licet.

25. Infantibus tamen, foeminiis, capti-
vis, supplicibus, & qui scipios dedunt, ex
regulis honesti & decori merito parcitur:
quamvis, si & hos interficiat hostis, injus-
tæ agere dici vix possit; cum hi quoque
ad hostem pertineant, & hostilia sape ab
iis mutuenda sint.

26. Idem dicendum de rebus sacris &
religiosis, quibus nihil quidem sacri per se
inhæret, nisi forte ex opinione ipsius ho-
stis.

ad §. 7.

27. Divisio belli in *solenne* & *minus solenne* ex decoro gentium fluit, & satis clare hic ab A. exponitur.

28. II.

28. Illud tamen notandum, quamvis indictio belli solennis necessaria non sit, ex regulis decorum tamen & prudentiae indicendum esse, ut appareat, an curia bellicum laedens lesso satisfacere velit, aut iustas exceptiones postulatis ipsius opponendas habeat.

Ad h. 3.

29. *Jus belli movendi* in statu naturali quietem cuivis lesso, in statu civili vero non nisi Imperanti competit, qui tamen istud non nisi quantum securitas civitatis postulat, exercere debet: quamvis arbitrium penes ipsum sit, an e re civitatis sit, bellum suscipere; nisi potestas ejus per leges fundamentales sit restricta.

30. Magistratus inferiores bellum inferre, inconsulto Imperante, non possunt, si vel maxime iusta belli causa adsit: nisi talis potestas illis delegata sit.

31. Illi tamen, quibus defensio Reip. concredita est, si urgente necessitate ingruentem hostium vim arceant, peccare censendi non sunt.

32. Ex jure belli, *intuitu Reip.* considerato, plura nova emanant jura ab A. omissa, ab aliis tamen, *Böbmero* in primis in Jure publ. univ. recte observata & enumerata. Sunt autem sequentia:

33. 1) *Jus*

33. 1) *Jus armorum instruendorum*, seu *armandiae*, vi cuius Imperanti competit jus armamentaria publica instituendi, jus fabricandi arma vel restringendi vel subditis permittendi, subditos armis instruendi, vel eorum usu prohibendi &c.

34. 2) *Jus extruendi fortalitia* seu munimenta, eaque privatis interdicendi, ac subditos eo nomine collectandi, vel operas eorum exigendi, quin & agros ædes que subditorum, itemque castra ipsorum, imo & templaque, ad hunc finem occupandi vel destruendi.

35. 3) *Jus præsidii*, seu fortalitia & civitates milite præsidiario tuendi, itemque excubias subditis imperandi, idque, si necessitas flagitet, sine ullo dignitatis discrimine.

36. 4) *Jus conscribendi milites*, eorumque delectum habendi, sed tantum intra fines territorii.

37. 5) *Jus metationis*, seu jus cogendi subditos quoscunque ad recipiendos milites in ædes, atque suis sumtibus alendos.

38. 6) *Jus sequelæ*, seu jus avocandi in militiam subditos omnes & singulos, atque, ut armati cum sequantur, compellendi, idque suo sumtu & victu.

Ad

Ad §. 9.

39. Ad justas belli caussas refertur etiam *injuria*, quæ civitati alicui vel genti ejus-
ve Imperanti recte *imputari* potest, licet
ea ab illis immediate illata non sit.

40. Imputari vero potest civitati ac
ejus Imperanti *injuria* nostræ civitati a *suis
subditis* illata, si reparationem a nobis hoc
nomine postulatam denegent, vel impe-
diant.

41. Vel si a nostris civibus *injuria* sit pa-
trata, eadem alienæ civitati imputatur, si
delinquentes recipiat, nec dedere velit.

42. Nec enim pacto ad deditio[n]is ob-
ligationem opus est, cum persecutio[n]em
juris nostri adversus *injuriâ* nos afficien-
tem impediens ejusdem *injuriæ* partici-
pem se reddat.

43. Non tamen consultum semper est,
ob *injurias* privatas, nostris civibus vel ci-
vitati illatas, bellum decernere : cum re-
paratio per *repressalias* etiam haberi pos-
sit.

Ad §. 10.

44. Sunt autem *Repressalia* bellorum
vel præludia vel simulacra, dum alterius
civitatis civis, aut ejus res, propter debi-
tum totius civitatis vel civis ex ea, post
fru-

frustra petitam justitiae administrationem, eo fine detineatur, ut debitor ad satisfactionem illo medio urgeatur, vel, ea non secuta, laesus suum inde recipiat.

45. Justitia repressaliatum non iure gentium quodam voluntario, sed fundamento imputationis mihi niti videtur.

46. Nimirum factum totius civitatis imputari quoque potest singulis civibus, propter arctissimam unionem, cum membra sint unius corporis.

47. Vicissim factum singulorum civium imputari potest toti civitati, si nempe illa facto suo se illius partipem reddiderit.

48. Hinc sequitur, injuriam, a membro alicujus civitatis alteri civitati vel ejus membro illatam, imputari ipsi civitati, quoniam haec, denegendo justitiam, candem in se velut devolvit.

49. Quemadmodum igitur civitas laesa a civitate laedente non nisi per modum belli reparationem querere potest; ita ejusmodi detentio rerum vel personarum alienae civitatis vice belli, quamvis minus solennis, fungitur.

50. Extenduntur autem repressiae ad omnes res, nisi pacto quedam excipiatur, uti legatorum rebus accidit.

51. Exer-

51. Exercitis repressaliis, & satisfactio-
nenon secuta, res detentæ læso adjudican-
tur, ut tamen residuum dominis restitui
debeat: personæ autem captæ occidi ne-
queunt.

52. Ceterum damnum , quod quis per
repressalias, patitur , propria civitas resar-
cire debet.

53. Ad justas belli caussas pertinet eti-
am *injuria alii* illata, ad quorum defen-
sionem vel ex foedere adeoque ex regulis
justi, vel ex humanitate seu ex regulis ho-
nesti & decori, obstricti sumus.

54. In hunc censum referendi primo
omnium *subditi*, deinde *socii*, pôtro *amicî*,
denique omnes *innocentes* & pro quibus o-
mnibus recte arma capessimus , cum præ-
fertim nostra quoque plurimum referat,
ut ne aliquis injuriis alios impune vexet.

Ad §. 13.

55. Inter effectus belli refertur *acquisi-
tio juris in res & personas hostium*: qui
modus acquirendi *Occupatio bellica* voca-
tur.

56. Sed accurate loquendo bellum non
est modus acquirendi aliquod jus , sed tan-
tum occasio.

57. Quod ad *res hostiles* attinet, illa-
rum

rum acquisitio consideratur vel intuitus hostii, vel intuitus ipsius hostis.

58. Intuitus tertii statim acquirimus jus in eas, simul ac eas occupavimus, hoc effectu, ut si easdem nobis eripere, aut in possessione illarum turbare velit, manifestam nobis inferat injuriam.

59. Fundamentum juris in occupacione situm est: quoniam res hostiles in bello, ubi omnia jura cessant, tanquam res nullius considerantur; unde hujusmodi res a nobis occupatae nostrae sunt, saltem ratione tertii, cui nullum in ea jus competit.

60. Intuitus hostis vero durante bello, non tam jus, quam possessio rerum occupatarum acquiritur: quoniam eodem iure, quo acquisitae fuerunt, iterum possunt eripi, nec istud jus prius extinguitur, quam per pactum ei renunciatum fuerit.

61. Unde istae res tantum catenus sunt nostrae, quatenus ita a nobis detinentur, ut hostem inde arcendi sit facultas.

62. Quaecunque autem hac ratione occupantur, cedunt ei, cuius nomine & auctoritate bellum geritur.

63. Igitur milites eas tum demum juste acquirunt, ubi licentia praedas faciendi ab Imperante tacite vel expresse ipsis concessa fuerit.

64. Res ab hostiis captae, sed illis interrum creptæ, jure ad pristinos rediunt, deo-
minos siue mobiles fuerint, sive impo-
biles: quodammodo iura inver subditos, eum
dom imperiosus in bello manent; salvo,
met possessionem alterius extinguiat,
tur; quod jus postliminium vocatur, eidem
consequitur. *ad fin. 14. lib. 11. q. 2*

65. Acquiritur, quam in bello *sive in*
personas, sive Imperium tam in singulos her-
emines, quam in integras populos victos.

66. Sed idem sere hic dicendum, quod
de acquisitione rerum, scilicet non prius
acquiri justum imperium, quam hostes
capti sunt, in illud consenserint.

67. Quod secundum ad singulos attingit,
vel obvenit, est de capti redimendis,
vel non est convenit.

68. Posteriori casu, major capti, vel alii
terfici potest, vel in servitutem usq[ue]digere.

69. Servitus ab invictisque consensu in-
cipit, quem si dengent capti, hostes pa-
nent, & a victore ab his interfici, sed &
fugiti consulere possunt; quae cessant,
similiter in servitutem consensere.

70. Priori casu, captivi tantum detinend-
tur, & liberi manent, donec redimantur.

71. Non extinguitur autem interea
captivorum ac devictorum pristina iura,

Sicet ius eorum cesseret, sed simulaç pñcar
privatae vel alieno imperio juste liberati
suerint, reviviscunt: idque atidem jure
polifirinii.

72. Quod si integrum populum, civita-
tem vel provinciam in suam potestatem
redigat victor, cogere posset, viatos, ut
fidem sibi dent, atque pacto sc. imperio
ipsius subjiciant.

73. Post fidem datam victi ex hostibus
hunc subditi, & victori tanquam Impe-
ranti suo fidelitatem & obsequium de-
bent, nec amplius resistere possunt.

74. Sed prior Imperans, cuius potestati
sunt eructi, ius eos libi iterum, vindicandi
retinet, usque dum per pacem illi non re-
nunciaverit: quo facto plenum justum-
que imperium victor nancisci utr.

75. Bellum vel ad temp⁹ cessat, vel penitus
finitur: illud sit per inducias, hoc per pacem.

76. Inducie sumuntur vel pro conven-
tione, vel pro statu: posteriori sensu in-
telligitur status, in quo actus bellici ad
tempus suspenduntur.

Ad. §. 16.

77. Sunt autem inducias vel vere vel ap-
parentes: illæ conventione nituptur, & ob-
ligationem ad omittenda hostilia produ-
cunt;

T 2

cum; hæc absque conventione & obligatione nonnunquam, fessis præsertim hostibus, accidunt.

78. Veræ iterum vel ad breve tempus inveniuntur, vel ad longius tempus.

79. Prius fit manentibus in expeditione exercitibus: posterius speciem pacis habet, dum bellum quidem finitur, sed belli caussæ non tolluntur.

80. Illad a Ducibus quoque fieri potest, quibus hæc facultas una cum officio concessâ præsumitur: hoc non nisi a summis Imperantibus ipsis.

Ad §. 17.

81. Pax itidem sumitur vel pro statu, in quo bellum cessat, vel pro conventione, per quam status ille producitur.

82. Posteriori sensu pax est conventio, qua non solum bellum penitus finitur, sed & caussæ belli, h. e. controversia, tolluntur, & quid cuivis belligerantium juris competat, determinatur.

83. Ineunt patem regulariter liberæ gentes, earumque Imperantes, quorum adeo est, leges & conditiones pacis definire, mutuoque consensu firmare.

84. Nonnunquam tamen & cum subditis vel prædonibus pax initur, quæ omnino valda est, neque ex conditione

per-

personarum, quibuscum contrahitur, impugnari potest; quoniam pacificando cum hujusmodi personis exceptionibus contra eos tacite renunciamus.

85. Pace inita, obligantur pacientes, ex lege naturali, ad fidem servandam, ita, ut & conditiones pacis bona fide & exactissime explent, & ab omni iactione aut injuria in posterum abstingant.

86. Quæ si non obseruentur, pax rupta dicitur, atque justa belli causa denuo encicitur.

87. Solet tamen obligatio pacis obsecubus, pignoribus, fidejussoribus, quos Garrenders vocant, & iurejurando firmari: duo priora ad pacis executionem, posteriora ad perpetuam ejus observantiam faciunt.

88. Ceterum valida etiam est pax mere patientioris inita: cum metus sit vel presumatur justus, nec justitia alteri cum effectu juris demonstrari queat.

CAPUT XVII.

De Foederibus.

Ad §. I. 2.

I.

Foedus est societas inter liberas gentes de utilitate quadam, sibi invicem praestanda, inita.

T 3

2. In-

2. Inveniuntur foedera a iudeante pacto; a quo etiam differunt, quod non de actibus transitoriis, sed duraturis, seu officiis per aliquod tempus sibi in vicem praestans, panguntur: unde rectius *sociates gentium* dicuntur.

3. Non vero nisi a liberis gentibus, sive summis Imperantibus, & quidem utilitatis publicae causa & publico nomine, panguntur, &c.

4. Unde foedera non sunt, si vel Imperans, vel privati cum privatis, vel privata utilitatis causa, contractum vel societatem inveniuntur.

5. Liquet etiam; privatis hanc facultatem, foedera publicae utilitatis causa inveniuntur, haec competeret enim non privaterum, sed Imperantis sit, judicare, quid publice expediat.

6. Hoc tam en casu non prohibitum erit subditis foedera sua securitatis & conservationis causa inire, ubi ab Imperante desuntur, nec securitati ipsorum, uti parerat, consulitur.

7. Etiam commerciorum causa licet subditis cum exteris foedera inire: cum commercia ipsa proprie non sint pars rei publicae, sed tantum jus dirigenst eas, sicut & ceteras subditorum actiones; unde

de eis eis libertas circa commercia erit
integra; quatenus Imperanti non vult
eam restringere.

8. Iniri autem possunt foedera cum
quibuscumque gentibus sive ejusdem sive
diversae religionis: cum in foederacione
spectetur, quas quisque de Deo & rebus
divinis opiniones habeat, sed quantumcumque
in promovenda Reip. salute adjuvare
queat.

9. Denique certam quandam & pecu-
llarem utilitatem foedera respiciantur ad
certum tempus praestans: quia si in
genere salutem civitatis intendant, & per-
petua durate debeant, *sistema* potius *Re- rump.* foederatarum efficitur.

10. Cum autem varia utilitas publica
esse possit, & varia officia eo nomine praes-
stantur: hinc & varia foederum genera dat
ri possunt, quorum natura & differentia
ex specialibus cuiusque foederis legibus ac
gentium moribus potius quam generali-
bus iuris natura preceptis addiscenda
est.

11. Generaliter forte distinguere illa
possent in generalia seu in propria & specia-
lia seu propria ratione habentur.

12. Ad generalia seu in propria specia-
bunt ea, quae ab Autore h. §. 2. descripta

sunt, sed nomen foederum vix merentur, quamvis pro corruptis gentium moribus nonnunquam necessaria videantur.

ad S. 3. 4. 5.

13. *Specialia seu propria foedera sunt* (1) *ratione effectus vel equalia vel inæqualia.*

14. *Equalia sunt*, ubi utrinque æqua-
lia onera æquali modo præstanda sunt.

15. *Inæqualia sunt*, ubi vel inæqualia onera tantum præstanda, vel altera pars simul est deterioris conditionis.

16. Inæqualia onera præstari possunt
vel a foederatis æquilibus, vel ab inæqua-
libus.

17. *Posterior sit vel a potentiori vel ab infirmiori.*

18. *Scilicet potentior inæqualia præstat*,
dum infirmiori auxilia ac defensionem
præbet, & vel nulla vel saltem non paria
onera recipit.

19. *Nascitur inde jus clientale tam
actuum quam passum*, cuius effectus et-
iam esse solet, ut infirmior majestatem
Protectoris comiter conservet, atque hinc
deterioris nonnihil conditionis sit, licet
summum imperium retineat.

20. *Sed & infirmior nonnunquam talia
præstare tenetur, qualia a potentiori non
vici-*

vicissim præstantur, ad eoque itidem de-
terioris paulo conditionis redditer.

21. Atque hæc vel conjuncta sunt eum
imminutione summi imperii, vel sum-
mum imperium non diminuunt, &c. vel
in oneribus transitoriis vel perpetuis con-
sistunt, quorum varia genera & exempla
ab A. afferuntur.

Ad S. 6.

22. (2) Fœderæ etiam ratione materia
distinguuntur, domi vel belli, vel commer-
ciorum vel alijs utilitatis caussa ineuntur;

23. Belli caussa quæ ineuntur sunt vel
offensiva vel defensiva vel neutralitatis.

24. Fœderæ offensiva & defensiva ex na-
tura belli offensivi & defensivi facile in-
telliguntur.

25. Neutralitas est fœdus, vi cuius ci-
vitas aliqua utriusque partis belligera-
ntis amica, & neutrius hostis esse tenetur.

26. Fœderæ commerciorum de immu-
nitatibus, quibus subditū commerciorum
caussa gaudere debeant, contrahuntur.

27. Ad alias utilitates pertinent *Pacta
Confraternitatis*, quæ de mutua successio-
ne inter Imperantes publico nomine in-
euntur.

Ad S. 7.

28. (3) Ratione subjecti fœderæ sunt vel

T 5

re-

*zodiis vel personalia: quorum illa invenit
Reip. haec inquit persona Imperantis sunt
improposita etiam anno, tempore & corpora
magi. Effectus differentiae hic est, quod
personalia cum persona Imperantis expi-
rent, realia vero mortuo etiam Imperan-
tis. Rerum obligent.*

30. Sunt autem foedera realia censem-
da, ubi vel liber populus, vel Rex juxta le-
ges fundamentales publicae utilitatis causa
ea perpigerit: quod & in dubio presu-
mendum.

31. Personalia vero ubi a Rege private
utilitatis causa & praeter legum funda-
mentalium prescriptum fuerint in ita.

32. *Sponsiones*, quarum natura ex dictis
ab A. facile intelligitur, non tam ad foede-
ra, quam ad pacta bellica, a Ducibus ini-
ris solita, referenda videntur, hodieque
forte rarissima sunt.

CAPUT XVIII.

De Officiis Givium.

VATIA HIC CONFEDERANTIA VENIENT: 1)
natura & constitutio eorum vel sub-
ditorum, 2) varius eorum statutus,
3) hinc nata varia eorum iura, 4) officia,
5) modi, quibus tunc repudia etis de-
linant.

2. Generatim id quidem clarum est, vivere vel subditum dici; qui imperio civili subjectus est.

3. Constituturque cives vel satelliti minuto Imperantis & ipsorum consensu: illius quidem, dum in hunc etiam civium aut subditorum eos recipit; homo vero, dum imperio civili se subiecti sunt.

4. Et ista subiectio vel expressa fidem & obsequium Imperanti promittendo ac homagium praestando; quamvis posterior ad maiorem securitatis tantum causa accederet soleat.

5. Vel tacite seu ipso facto, dum quis vel in territorio Imperantis eminatur, vel actus imperii ipso admittitur.

6. Quavis autem omnes in eum conveniant, quod sint subditi, tamen diversi eorum status ac omnes videntur, ex quibus diversa etiam iura atque officia promanant.

7. Sicut et differunt subditi vel ratione libertatis, vel ratione subjectionis, vel ratione superis, vel ratione dignitatis, vel ratione consociationis;

8. Ratione libertatis differunt subditi, adhuc alios minores; alii majori libertate gaudent, probi potestas Imperantis laxed vel adstrictior est.

9. Hinc

9. Hinc sit, ut alii sint *absolute subditi*, quibus sola parendi gloria est relata, alii vero *cives vel status Recip.* dicantur, qui in quibusdam ad Recip. administrationem concurrunt, salva tamen submissione in ceteris actionibus.

10. Ratione *subjectio* differunt subditi, quod quidam *immediate Imperanti parent*, quidam *mediate*.

11. Ratione *muneris* differunt, quod alii sunt *magistratus vel ministri*, alii *meri subditi*.

12. Ratione *dignitatis* alii sunt *nobiles*, alii *plebeji*, atque hi vel civici ordinis vel rustici.

13. Ratione *confociationis* sunt vel *singuli*, vel *collegia & universitates*, quae itidem ut personæ morales in civitate confundantur.

14. *Jura* *civium* vel *subditorum* spectantur vel ratione *Imperantis*, vel ratione *conciduum*.

15. Intuitu *Imperantis* *jura* *subditorum* sunt exigua; cum *subjectio* magis obligationem seu necessitatem quam libertatem agendi producat: nisi forte *jura* quidam & immunitates sibi reservaverint.

16. Sunt certe quidam, quae *integra subditis* *relinqui* vel *solent* vel *debent*.

17. Ta-

17. *Talis est libertas conscientia seu religiosa*, quippe quæ quoad actus inter nos Imperio civili subjici nequit.

18. *Talis etiam est libertas domestica*, seu jūs de rebus domesticis libere disponendi;

19. *Intuitu concivium generatim iis competit jūs civitatis*, vi cuius in commerciis, successionibus, connubiis atque negotiis civilibus, æqualia cum certis jura sibi merito vindicant.

20. Deinde & peculiaria quædam jura ipsis competunt, intuitu statu, in quo vivunt: unde alii prærogativis quibusdam gaudent, alii vero deterioris sunt conditionis.

Ad S. I. 2.

21. Jam porro *Officia* quoque civium consideranda sunt, de quibus solis A. hic agit: eaque sunt vel *communia*, seu hominum, vel *propria* seu *civium*; priora quidem non negligenda, posteriora tamen propriis hujus loci sunt.

22. Hæc igitur vel *generalia* sunt, quæ ex communione civium natura & statu fluunt, vel *specialia*, quæ ex speciali cujusque munere vel statu proficiscuntur.

23. *Generalia iterum vel Imperantem, vel civitatem, vel concides* respiciunt.

Ad

Ad S. 3.

24. Et Imperantem quidem subditi ad obedientiam, cum fidelitate & reverentia conjunctam obligati sunt: quae obligatio & necessitatem agendi ex Imperantis praesertim & necessitatem patiendi, quæcumque Imperans intulerit, involvit.

25. Utrumque subjectionis natura postulat, vi cuius libertati spæ intuitu Imperautis renunciarunt subditi, nec adeo de actionibus Imperantis, justæ sint an injustæ, recte judicant.

26. Hinc sequitur, subditis haud competere facultatem Imperanti resistendi, aut obsequium denegandi, sub quocunque praetextu.

27. Nec adeo cūquā potestatem esse, vinculum obedientiæ, quo subditi constringuntur, relaxandi.

28. Quin & subditos ex voluntate Imperantis, magistrati subalterno, quoque ad obedientiam obstringi.

Ad S. 4.

29. Erga totam civitatem obligatio omnis huc recidit, ut salutem eius omnibus viribus promoteant cives.

30. Cuius consequens est, ut primum, animum corpusque probe excolendo, ad servitia Reip: idoneos sese reddant.

31. De-

31. Deinde ut tantum acquirant quan-
tum ad onera Reip. ferenda necessarium
est, eademque ferre hanc detrectent. 8.2

Ad 6.5. Secundum dicitur quod
32. Erga concubos officium civium est ut
pacifice cum illis vivant, cosdemque con-
secum iure fratri patimur, & in omnibus
negotiis ita se erga eos gerant, ut leges op-
vitatis exigunt.

Quod si alii praesumptivas purjura
singulatim nocti sufficiant, readem illis tri-
buant, nec in usu eorum illos turbentibus
33. Ne aliquam usum nec vitium agere possit
alios, a quibus sese laeso extimant, expe-
riantur, quamdiu auxilia iuris a magistratu
tu habeti possunt, et in auctoritate libere cup-
erent. Ad 6.6. Eiusdem, loco 14.

34. Specalia officia, ex natura cuiusque
muneris aut status, ex quo liquunt, diudi-
canda sunt.

35. Generatim tamen circa munera seu
officia publica officium boni civis est (1)
ut nec ineptus munus ambiat, nec præ-
aptioribus se obtrudat, nec plura, quam
quibus par sit, affectet, aut suscipiat, nec
per vias injustas aut inhonestas ad munus
contendat.

36. (2) Ut munere obtento ea, qua par-
est, industria ac fide fungatur,

38. Spe.

38. Specialius deducit Autor officia consulariorum, §. 7. Ministrorum ecclesiasticorum, §. 8. doctrinæ aliorum, §. 9. magistratum, cum primis judicis, §. 10. ducum militarium, §. 11. milium, §. 12. legatorum, §. 13. ac denique rei pecuniarie prefectorum, §. 14. quæcum satis clara sunt, non opus erit aliquid addere.

Ad §. 15.

39. Durat officium speciale, quamdiu muneric, istud flagitantis, functio durat; expirat, ubi haec expiraverit; quamvis obligatio ad rationem de ante gestis reddendam etiam post abdicatum munus subsistat.

40. Generale officium itidem durat, quamdiu aliquis civis esse non desinit.

41. Modi, quibus plerumque cives esse desinunt, satis recte ab A. in compendio exponuntur.

42. Effectus autem soluti legitime vinculi est, quod pristinæ civitati nihil amplius juris in civem amissum competit.

43. Atque hinc nec mandatis avocatoriis eum retrahere, nec, si velut minister novæ suæ civitatis admittatur, jurisdictionem in eum exercere poterit.

44. Imo non peccabit dimissus, si & contra patriam seu pristinam civitatem operas suas praefteret.

APPEN-

APPENDIX.

CAP. XIX.

De Jure summi Imperantis circa officia publica.

1.

Administrare Remp. non nisi summi Imperantis est: sed cum hoc ab ipso solo commode fieri nequeat, eisdem est, ex subditis ministros ac magistratus constituere, iisque officium ac potestatem negotia publica ipsius vice ac nomine administrandi, demandare.

2. Cum igitur hoc vi summi imperii fiat, palam est, potestatem constituendi ministros & magistratus, sive *Jus circa officia publica*, ad Jura Majestatis merito referri.

3. Hinc porro sequitur, nec subditos sibi ipsis propria auctoritate officium publicum arrogare, nec alios sibi magistratus constituere posse, nisi Imperans concesserit.

4. Officium vero Imperantis circa officia publica est, non nisi idoneis ea confer-

U

res

re: quippe quod salus Republicæ utique requirit.

5. Sed & potestas ipsi competit, quos idoneos judicat, ad officium publicum subeundum, vel retinendum, si forte illi renunciare velint, cogendi; & vicissim interceptos aut infideles ab eodem removendi, idque si vel maxime hereditarium istud furerit.

6. Præterea licet officia publica ita per Remp. sint distributa, ut cuique certum negotium assignatum sit, tamen imperans negotium aliquod extra ordinem alii committere poterit: idque iuris etiam partibus, quarum interest.

7. Quod si etiam officialium publicorum status, etas, aliæque qualitates legibus determinatae fuerint; nihil tamen impediat, quo minus ab his recedere Imperans possit, nisi fundamentales fuerint.

8. Pariratione in arbitrio Imperantis erit, sive temporaria, sive perpetua, sive personalia, sive hereditaria munera concedere velit.

9. Non minus licebit Imperanti, vel aliquam alicui in officio administrando adjungere aut substituere, vel expectativam, h. e. spem

spem ad officium mox vacaturum, alicui largiri.

10. Non tamen inde expectanti jus ita perfectum acquiritur, quo minus vel a concedente vel ejus successore revocari queat: quamvis id parum decore aut prudenter saepe fiat, praesertim si vel ob insignia merita, vel titulo oneroso spes impetrata fuerit.

11. De cetero non iniquum erit, pretium pro collato munere exigere, modo haud idoneis non conferatur.

12. Ex dictis patet, omnem magistratum potestatem atque auctoritatem a summo Imperante dependere, adeoque non suo sed Imperantis nomine illus negotia publica administrare.

13. Eadem de causa illos ad rationes reddendas ei obstrictos esse, cuius nomine & auctoritate agunt.

14. Denique quantacunque ipsorum potestas sit, tamen cum dependens sit, semper ad superiorem dari recursum, si contra officium agant.

CAPUT XX.

De Potestate Imperantis Judiciaria.

Potestas judicaria, quæ & *jurisdictio* appellatur, est jus de actionibus subditorum secundum leges pro imperio judicandi, atque adeo non solum lites eorum decidendi, sed & delicta puniendi.

2. Competit hæc potestas non nisi summo Imperanti, cum *jurisdictio* absque imperio & coactione exerceri nequeat: cogere autem subditos, & imperare illis non nisi summi Imperantis est.

3. Exercet vero hanc potestatem Imperans vel *immediate* per semetipsum *jus dicendo*; vel *mediate* per alios, *judicia* nempe constituedo, & *magistratibus* *jurisdictionem* demandando.

4. Non tamen hoc ipso Imperans se exuit potestate sua *jus dicendi*, sed omnis *jurisdictio* intelligitur subordinate concessa, ut sententia judicis inferioris subjeat judicio superioris,

5. Ma-

5. Manet igitur Imperanti potestas, concessa subditis appellandi facultate, causas a judice inferiori avocandi, ejusque sententiam non solum examinandi, sed etiam reformandi.

6. Id quod extra ordinem etiam facere potest, licet certus appellandi ordo praescriptus sit: sicut & extraordinem alteri quam ordinario decisionem causae recte committit.

7. Neque ad leges præcise ita adstrictus est, quin ex justa causa aliquando possit sententiam ferre, prout salus civitatis & aliae circumstantiae id postulant.

8. Quodsi territorii amplitudo plura requirat judicia, Imperantis est, judicia distinguere tum ratione *districtus*, tum ratione *causarum*, eademque sibi ita subordinare, ut alteruni alterius sententiam reformare queat.

9. Distinctis semel foris & judiciis subalternis, nemo potest ultra suos limites judicare: quod si de facto fiat, impune ei non paretur.

10. Nec judici inferiori semper integrum erit, potestatem suam rursus alteri mandare, nisi quatenus hæc facultas ei fuerit concessa.

11. Nec in ferenda sententia ipsi licebit a legibus ac ordine judicij sibi praescripto vel latum ungvem recedere: cum ipsius non sit leges mutare, sed tantum interpretari & applicare.

12. Ceterum cum iudex nomine & vice Imperantis judicet, merito ipsius sententiae sua constabit auctoritas, non minus ac si ab ipso Imperante pronunciata esset.

13. Institutis hoc pacto judiciis, cessabit in civitate omnis vis, nec licebit subditis per viam facti jus suum persequi.

14. Unde duella, & omnis generis violentia, in civitate delicta sunt, in potestatem judicariam injuria.

15. In casu tamen necessitatis, & ubi periculum in mora, vel cessantibus penitus judiciis, reviviscit libertas naturalis, sibi ipsi privata auctoritate etiam per vim jus dicendi.

16. Sed nee licebit subditis jurisdictionem sibi ipsis, absque consensu Imperantis, afferere, aut aliis eam dare: cum haec sit pars summæ potestatis a solo Imperante dependens.

17. Arbitros tamen in causa controversa eligere, aut per transactionem amicam.

micam lites componere, neutquam iis
prohibitum erit.

CAPUT. XXI.

De Jure Imperantis circa
Collegia & universitates.

I.

Collegia & universitates sunt societas minores plurium personarum, ad certum finem communibus auxiliis obtainendum, unitarum.

2. Sicuti autem in statu naturali liberum fuit, in societas minores coire: ita nec in civitate collegia fiunt illicita, quounque non prohibita aut fini civitatis adversa sunt; quoniam his ipsis saepe commodius commoda civitatis promoventur.

3. Hujusmodi collegia, quamdiu ab Imperante ipsis limites non fuerint praescripti, certis gaudent juribus, quae ad sequentia fere recidunt.

4. Scilicet competit ipsis facultas 1) de rebus collegii per modum pacti statuendi.

5. 2.) *Presides* sibi ex membris collegii eligendi, qui majori ceteris auctoritate polleant, atque commoda collegii promoveant.

6. 3.) De certa *pœna* inter se conveniendi, iis imponenda, qui adversus statuta delinquunt.

7. 4.) Illos, qui prorsus se statutis conformare nolunt, a collegio *excludendi*.

8. 5.) Denique *numerum & qualitatem* personarum in collegium recipiendarum definiendi.

9. De cetero hujusmodi collegia nihil aliud sunt, nisi societates æquales, quæ & civitati ac Imperanti manent subiectæ, non minus ac singuli subditæ.

10. Non repugnat tamen Imperantibus conditioni, se quoque collegio associare; quo casu non ut Imperans, sed ut membrum ceteris æquale consideratur.

11. Ut Imperans vero potestate gaudet hujusmodi collegia dirigendi ac providendi, ne quid Respubl. inde detrimenti capiat.

12. Hinc nascitur 1.) jus prohibendi collegia, quæ tolerare haud e re civitatis videtur: quo facto ista personæ civilis jura amittunt.

13. 2.) Jus disponendi, ne collegium in Republica toleretur, nisi publice probatum & confirmatum sit.

14. 3.) Jus nova collegia & societates insti-

instituendi, & illis certum regimen, leges, privilegia aliaque jura præscribendi.

15. 4.) Jus cogendi subditos, ut in ejusmodi collegium se referant, & quod sui muneric est, in eo peragant.

16. 5.) Jus prospiciendi, ne quid in collegio statuatur in detrimentum Reipublicæ, aut disponendi, ne statuta valeant absque publica confirmatione.

17. 6.) Jus præscribendi collegiis certos limites, cum primis numerum & qualitates membrorum determinandi.

CAPUT XXII.

De Jure Imperantis circa Sacra.

I.

Maximi momenti est *Jus Imperantis circa sacra*, quod tamen ex natura religionis & imperii facilè intelligitur ab iis, qui vel præjudiciis, vel affectibus, vel privati commodi studio haud fascinati sunt.

2. Scilicet *religionem esse rationem collendi DEum, & partim notitiam DEi, partim cultum ejus complecti, prætereaque us vel*

314. CAP. XXII. DE JUR. IMP. CIRCA SAC.

vel *internam* esse vel *externam*, superius traditum est.

3. *Externa*, cum internas per verba & facta significatio sit, in sui exercuio certis signis & circumstantiis utitur, qua partim in *dogmatisbus*, externe scilicet prolatis, partim in *ritibus* & ceremoniis consistunt.

4. Ejusmodi autem signa vel *necessaria* sunt, quae ex interna religione naturaliter fluant, aut à DЕo revelata sunt: vel *arbitria*, quae boni ordinis gratia ex regulis decori arbitrio hominum instituta sunt.

5. Deinde religio vel a *singulis* exerceri potest, vel ab *universitate*.

6. Posterius iterum vel *privatim* fieri potest, si pauci in loco privato religionis causa congregentur:

7. Vel *publice*, si plures publicum aliquod collegium forment, & in loco publico colendi DЕi gratia cœant; quale collegium *Ecclesia* vocari solet.

8. Quod si jam *babitum religionis ad rem publicam consideres*, ea quidem a negotiis civilibus prorsus aliena est, ita, ut nec religio propter rem publicam, nec res publica propter religionem sit instituta.

9. *Res publica enim pro fine habet exten-*
nam

*nam felicitatem: religio internam, & qui-
dem non solum hujus, sed & future vitæ.*

10. *Respublica* occupatur circa officia
hominum erga alios homines; *religio* circa
officia erga *Deum*.

11. Si igitur singuli subditi seorsim **DEU**-
um colant, merito hac in parte sua utun-
tur libertate: quoniam in ejusmodi nego-
tiis, quæ ad alios homines non pertinent,
nec adeo externam tranquillitatem turba-
re possunt, voluntatem suam imperio civi-
li submisso censendi sunt.

12. Quodsi vero universitas quædam
publice cultum exercere velit; quod utri-
que, quamdiu non prohibitum est, subdi-
tis licet; nascitur collegium æquale, quod
ijsdem juribus utitur, quibus reliqua col-
legia; adeoque in iis, quæ imperium civi-
le admittunt, Imperanti omnino obnoxi-
um est.

13. Imo si & ipse Imperans membrum
sacri ejusmodi collegii seu ecclesiæ fiat,
non ut Imperans, sed ut æquale membrum
in eo consideratur, nec plus inde potesta-
tis in illud nanciscitur, sed ipse etiam insti-
tutis ejusdem obnoxius est, licet ut Impe-
rans imperium in istud exerceat.

14. Datur ergo *ius* Imperantis circa sed
era,

era, quod *jus episcopale* perperam vocatur, & nihil aliud est, quam *jus dirigendi ex-temnum religionis exercitium*, ac ne ejus *prætextu* *societas civilis turbetur, prospiciendi*.

15. Ut vero patescat, quo usque *jus Imperantis* in religionem sese extendat, id ante omnia in genere afferendum; *in ipsam religionem internam nullum Imperanti imperium competere*, quia *interni mentis & voluntatis actus externæ coactioni* haud subjacent.

16. *Externi vero religionis actus cum vel necessarii vel arbitrarii sint: utrosque quidem dirigere potest Imperans, sed cum insigni tamen discrimine.*

17. *Scilicet priores quoad ipsa essentia- lia, neque præcipere neque vetare potest, circa media vero religionem internam & externam promovendi vel impediendi, & accidentales ejus circumstantias quædam disponere potest: sicut & posteriores externæ religionis actus imperio civili prorsus subjecti sunt.*

18. *Si plures religionis causa privati convenire velint, hæc libertas subditis utique relinquenda videtur, præser-tim quousque nullum Reip. periculum inde*

de imminet: quod si nihilominus sine iusta causa hanc libertatem subditorum constringat, a tyrannidis labe haud immunis erit.

19. Multo magis si publicum inde collegium existat, quod certis juribus in Republ. frui velit: quippe quod vel prohibere, vel tolerare, vel confirmare ac certos ei limites praescribere potest.

20. Sed sunt etiam officia quædam intuitu juris circa sacra Imperanti observanda.

21. Nimirum 1.) Imperantibus est, providere, ne occasione aut obtentu religiosi turbæ & factiones in Republica oriantur, aut scelerata perpetrentur.

22. 2) Hoc ubi non metuendum, cuique conscientiæ libertas relinquenda, nec in rebus, quæ ad essentiam religionis, falso ex opinione cujusque, pertinent, quisquam cogendus.

23. 3) Denique opera danda, ut senior religio floreat, & per eam ipsam Reip. salus promoveatur, in quantum per media conscientiis innoxia illud fieri potest.

24. Ex his jam principiis *specialia Imperanti jura circa sacra derivanda, quæ par-*

partim circa *externum religionis exercitium dirigendum*, partim circa *tranquillitatem Reip. religionis intuitu, conservandam versantur*, & non solum in casu *consensus*, sed etiam *dissensus locum habent*.

25. Possunt vero ad sequentia reduci capita: 1) *Jus circa publicum religionis exercitium introducendum*. 2) *Jus circa veritatem religionis, & controversias theologicas*. 3) *Jus circa adiaphora & ordinationes ecclesiasticas*. 4) *Jus circa ministros & inspectores ecclesiae*. 5) *Jus circa jurisdictionem ecclesiasticam*. 6) *Jus circa bona ecclesiastica*. 7) *Jus advocatione ecclesiastica*.

26. Quoad L.) igitur Imperanti competit potestas *publicum religionis exercitium introducendi*, ac certis juribus & privilegiis religiosam ejusmodi universitatem seu Ecclesiam ornandi, imo &, composita fidei formula, visibilem illam redendi.

27. Potest etiam Imperans diversas religiones publice recipere ac tolerare.

28. Sed & potest diversae religioni addicatos publico religionis exercitio interdicere, vel si aliter publicae saluti consuli nequeat, emigrationem iis injungere,

29. Non

29. Non vero cogere potest subditos ad religionem, de cuius veritate ipse quidem non vero subditi persuasi sunt.

30. De mediis tamen disponere potest, quibus ad saniores religionem ea qua per estrationem adduci queant.

31. Quoad II.) nulla Imperanti competit potestas, controversias theologicas per modum imperii decidendi: eò quod opiniones intellectus imperio externo haud subjacent.

32. Prohibere tamen potest, quod minus per dissidia & contentiones religionis causa motas tranquillitas Reip. turbetur.

33. Potest etiam dissentientes doctores convocare, vel coëundi facultatem his concedere, ut de doctrinis controversis coram inter se agere queant: h. e. gaudet jure concilia convocandi, & colloquia concedendi, si haec ad componenda dissidia facere posse existimet.

34. Sed & gaudet simul jure ejusmodi conciliis presidendi, vel in persona, vel per ministros suos: non solum ut audiat, qua in recordo controversiae vertatur, & quæ sententia sanior videatur, sed etiam ut prohibeat, quo minus ab hominibus rixosis ac fervidis turbæ excitentur.

35. Quod-

35. Quodsi jam de controversia inter doctores convenerit, tamen Imperans sententiam aliis ut veritatem *ne obtrudere*, necut obtrudatur, permettere potest.

36. Quin potius examen & decisio omnium controversiarum theologicarum cujusque judicio relinquenda est.

37. Potest tamen Imperans sententiam, quam ipse saniorem judicat, *publice docendam injungere*, licet ad eam amplectendam neminem cogat.

38. Unde sequitur, si doctor perversus, ac in ecclesia sua reprobatus, doctrinæ insimuletur, Imperantem posse de causa ista cognoscere, & pro circumstantiarum ratione illum vel removere, vel tueri.

39. Sequitur etiam, si ex auditoribus quispiam a receptis doctrinis recedat, Imperantis haud esse, permettere, ut is ecclesia statim excludatur; modo alias in vita & cultu divino institutis istius ecclesiaz conformem se gerat.

40. Quin & hoc sequitur, neminem propter *bæresin*, i. e. opinionem in ecclesia quadam pro falsa reputatam, puniri posse, licet admonitus, non vero convictus, eam rejicere nolit; modo rempubl. non turbet.

41. Ra-

41. Ratio assertionis est, quod *beneſis* non est *crimen* voluntatis, sed *error* intellectus: nec *pertinacia* pro crimine venditari potest; cum nemini possit in crimen imputari, quod errorem non rejicit, de cuius falsitate nondum convictus est; an vero convictus sit, non aliorum, sed errantis est, judicare.

42. Potest tamen Imperans sub poena prohibere, ne quis nova dogmata dissemineret, aut emigrandi necessitatem ei imponere.

43. Quod si vero de *adiaphoris*, h.e. ritibus arbitrariis controversia exoriatur, hanc Imperans per modum imperii decidere potest.

44. Quoad III. Imperanti competit *jus prescribendi vel confirmandi aut emendandi ordinationes ecclesiasticas*, secundum quas tum agendum, tum judicandum.

45. Cum autem ordinationes ecclesiasticae vel de ritibus, vel de personis, vel de bonis ecclesiasticis fieri postint: cum primis huc pertinet *jus disponendi circa adiaphora*, h.e. ritus & ceremonias, circa cultum externum occurrentes, & a Deo, juxta seriam subditorum opinio-

nem, nec præceptas nec prohibitas.

46. Habere autem Imperantem hanc potestatem, adiaphora scilicet vel instituendi vel abrogandi, ex ipso adiaphororum natura patet. Eo ipso enim dum nec præcepta nec prohibita sunt, arbitrio sane humano subjacent.

47. Non tamen semper consultum est, eadem mutare; præfertim si habeant rationem indiciorum, veram Ecclesiam a falsa distinguentium.

48. Spectat huc etiam *jus reformandi*, i.e. tollendi abusus & corruptelas, quæ vel circa ritus, vel circa mores doctorum, vel circa bonorum ecclesiasticorum administrationem invaluere.

49. In hanc classem quoque referendum *jus indicendi festa*, *jus circa preces publicas* &c.

50. Quoad IV. Imperanti competit *jus lites* vel inter doctores & auditores, vel inter doctores ipsos, sive de ritibus, sive de bonis ecclesiasticis, sive de aliis rebus aut juribus enatas decidendi: quamvis hæc eadem sit *jurisdictio*, quam Imperans vi summae potestatis exercet.

51. Unde integrum est Imperanti vel pecu-

peculiare *forum ecclesiasticum* constituere, vel caussas ecclesiasticas ad forum civile referre.

52. Nemini etiam nisi Imperanti jus est de delictis clericorum cognoscendi, et demque puniendi.

53. Præter Imperantem vero nulla Ecclesiæ competit jurisdictione: quoniam hæc pars est Imperii civilis, quod ab ecclesia prorsus est alienum.

54. Et licet eiusmodi cœtus facultate gaudent *censuras quoddam pacto determinare*, indignosque a cœtu excludere, hæc tamen poena proprie dicta non est.

55. Imo cum ministri sacrorum hac facultate facile abuti possint, Imperans iis modum ponere potest, ne alicui iniuria inferatur, vel ipsimet sub hac specie imperium quoddam vel iurisdictionem exerceant.

56. Quoad V. Ecclesiæ quidem libertas relinquenda, *Dœctores & Prepositos* sibi eligendi, quibus confidit: attamen quoniam Reip. interest, ut ne homines scelerati ac minus idonei Ecclesiis præficiantur, Imperans electioni certum ordinem ac modum præscribere potest, ac libertatem

franc eateñis restringere, ne absque confirmatione Imperantis electio valeat.

57. Imo si ne sic quidem saluti publica rite cibisulatur, etiam ipse Imperans jure Imperii Doctores constituere potest.

58. Et ne doctores ex innata ad imperium in conscientias inclinatione limites officii excedant, constituere potest, qui in his inspectionem habeant, eosque in officio confineant.

59. Quid & si incommoda quadam ex modo docendi imminere videantur, de hoc quoque statuit Imperans, & convenientiorem praescribit.

60. Quoad VI. notandum, per bona ecclesiastica intelligi vel res, quae ad cultum divinum adhibentur, vel ex quibus doctores & ministri ecclesiae sustentantur.

61. Eiusmodi bona cum sint Ecclesiae, sine iusta caussa ab Imperante illi eripi non possunt.

62. Potest tamen Imperans leges de illorum acquisitione, administratione, & distributione condere.

63. Potest etiam Imperans Ecclesiae permettere, ut sibi prefectos & administratos illorum bonorum constituat, suprema tamen

tamen inspectio atque directio penes Imperantem manet.

64. Quod si etiam perspiciat Imperans, ex superstitione liberalitate maiores in ecclesiam opes effundi, quam utile aut necessarium est, non solum effusas eiusmodi donationes prohibere, sed etiam superflua bona, quae ad eos usus, ad quos destinata sunt, non adhibentur, ad utiliora convertere potest.

65. Et licet Imperans bona ecclesiastica a tributis & vectigalibus immunita praestare possit; tamen injuriam iis non facit, si tributa quoque illis imponat: quoniam eadem, qua reliqua, protectione in Republica gaudent.

66. Quoad VII. observandum, ius ad vocatio consistere in potestate, illos, quibus publicum religionis exercitium concessum est, ab omni injuria, quae a diversæ religioni addictis iis inferri potest, defendendi.

67. Competit hoc ius Imperanti vi summae potestatis, quippe quae propterea in eum translata est, ut omnes subditos suos defenderet.

68. Affine est juri circa sacra jus circa

studia, quod eandem fere cum præcedenti potestatē Imperanti tribuit.

69. Evidēm privata liberorum educationis merito cuivis patrifamilias relinquitur: nihilominus cum reip. intersit, ne liberi male eduentur, etiam in hanc inspectio quædam Imperanti non denganda.

70. Cum primis si publica collegia, qualia sunt *Schola & Academia*, in hunc finem sint instituenda, potestas Imperantis sese exeret, cuius eadem fere cum præcedenti erit ratio.

CAPUT XXIII.

De Jure Legationum.

I.

Jus legationum partim ad *jus publicum universale*, partim ad *jus gentium* spectat: prout vel tanquam pars summæ potestatis consideratur, vel certa iura atque officia, inter gentes observanda, inde promanant.

2. Consistit autem *jus legationum* in potestate mittendi reipublicæ causâ personas, non solum certa existimatione ac digni-

dignitate ornatas, sed etiam certo man-
dato instructas, ad alienam Rempubli-
cam, vel ab aliena Republ. eas recipiendi,
ad negotia publica, cum aliena Rep. in-
tercedentia, per eas, tanquam internunc-
cios, tractanda atque expedienda.

3. Ex definitione patet, quare non nisi
Imperanti potestas competit legatos mit-
tendi vel recipiendi: quoniam scilicet
nemini nisi summo Imperanti jus est, pro-
pria auctoritate de salute publica cum a-
lia Republica agendi.

4. Et licet in magnis Imperiis etiam
Magistratibus majoribus indulgeatur po-
testas, suo etiam nomine legatos mitten-
di: tamen ista potestas ex concessione Im-
perantis expressa vel tacita derivatur.

5. Ex eadem ratione patet etiam, non
nisi ad Respubl. liberas, sive summos Im-
perantes, legatos mitti posse: quoniam
de salute publica cum nemine, nisi penes
quem salutis publicæ arbitrium est, firmi-
ter quicquam concludi potest.

6. Quamvis etiam sæpe vel subditi ad
Imperantes, vel Imperantes ad subditos
internuncios mittant: hi tamen proprie-
legati in sensu juris gentium non sunt, ne-

que adeo juribus legatorum fruuntur.

7. Ut autem jura & officia inter gentes intuitu legatorum observanda rite intelligentur, & status legatorum atque existimatio, & mandatum, & admissio, & sanctitas, consideranda.

8. Quod ad statum legatorum attinget, jam ex dictis liquet, eos esse ministros publicos, ab Imperante ad Imperantem, cum existimatione intensiva & potestate negotia Republicæ tractandi, missos.

9. Sed differt status & hinc nata existimatio legatorum pro diversa mittentis, diversam iis qualitatem imponentis, intentione.

10. Hinc (1) alii sunt primi, alii secundi ordinis.

11. *Primi ordinis legati*, stylo publico *Ambassadores*, vel *legati* in specie dicti, sunt, qui Dominum mittentem peculiari quodam charactere representant.

12. *Natura & vis* hujus characteris est, representare personam Domini, & propterea in honorem ejus peculiares quosdam titulos honoresque usurpare, qui minorum ordinum legatis communes non sunt.

13. Im-

13. Imprimere hujusmodi characterem legato, solum Imperantis est; sed honores, qui ex isto charactere fluunt, moribus gentium introducti sunt.

14. Quotiescumque igitur legatus cum hoc charactere ab extera Republica admissus est, jure suo omnes istos honores ab ea exigit, qui ex moribus gentium eidem adhaerent: quod adeo *juris ceremonialis* genuinum fundamentum est.

15. Secundi ordinis legati, *Ablegati* vel *Envoyés* appellati, sunt, qui charactere quidem isto representatatio, non tamen omni prorsus dignitate destituuntur, adeoque itidem certis honoribus apud exteros ex moribus gentium fruuntur, sed gradu honoris ab Ambassiatoribus differunt.

16. (2) Alii sunt *extraordinarii*, qui certae rei caussa mittuntur, ac plerumque brevi negotium conficiunt; quales cum vel primi vel secundi ordinis esse possint, stylo recepto plerumque cum hoc addito: *Ambassadeurs* vel *Envoyés Extraordinaires* salutari solent.

17. Alii sunt *ordinarii*, quibus nec brevius tempus, nec determinata caussa com-

missa est: quales cum tantum ex secundo
ordine esse soleant, *Residentes* solenni stylo
audiunt.

18. Denique (3) nonnulli *Plenipoten-*
tarii dicuntur, qui liberam concludendi
potestatem habent, atque re ipsa ad lega-
tos secundi ordinis pertinere videntur,
quamvis nonnunquam ex negligentia ho-
norantium honores, legatis primi ordi-
nis debitos, obtinuerint.

19. Affines legatis sunt *Agentes*, qui vel
privata Principum aut civitatis negotia
procurant, vel nonnunquam etiam pu-
blica, sed absque publici Ministri chara-
ctere, atque adeo nec peculiari dignitate,
nec ceteris legatorum immunitatibus ex
jure gentium fruuntur.

20. Agentibus similes sunt *Consules*, in
emporiis celebrioribus commoda merca-
toria exterarum rerum publicarum ob-
servantes: qui adeo legatorum juribus
itidem nullatenus gaudent, quamvis per
eorum latus aliis injuria fieri possit.

21. Belli tempore *tubicines* & *tympano-*
tribe nunciorum publicorum vice saepius
funguntur, sed ad legatorum classem neu-
tiquam pertinent, cum charactere destitu-
antur;

antur; licet securitate juris gentium merito fruantur.

22. Legatum efficit *mandatum*, vicinus & negotium expedienter legato committitur, & fidēs ei tanquam Ministro publico apud exterios conciliatur.

23. Exponitur mandatum *litteris fiduciariis*, seu *credentialibus*, quae legato ad eo necessariae sunt, ut sine illis nec agnoscendi pro legato, nec ad mandata exponenda admitti possit.

24. Datū autem mandatum vel *cum libera*, vel *absque libera*: seu, ut alii loquuntur, *vel charta pura*, vel *manifesta*.

25. Priori casu libera concludendi potestas legato conceditur: sed posteriori certus agendi modus certique limites ei præscribuntur.

26. Atque hoc iterum vel per mandatum *publicum* seu *manifestum* fieri potest, vel per *privatum* seu *secretum*, quod *instructionem* vocant, qua legatus velut instruitur, ne mandati sui publici fines exceedat.

27. Effectus obligationis hinc diversus est: Scilicet si *cum libera* datum sit mandatum, actis legati Dominus utique obli-

ga-

332 CAP. XXIII. DE JURE LEGAT.

gatur, nisi ratificationem sibi reservaverit; qua non secura, nihil actum erit per legatum.

28. Quod si absque libera datum fuerit, & legatus fines mandati excederit, Dominus minus neutquam obligatur, modo mandatum sit publicum.

29. Si vero secretò tantum interdictum sit, quod egerit legatus, Dominus omnino tenetur, nisi ratificatione ei reservata fuerit.

30. Nonnunquam legato præter credentiales publico *instrumenta procuratorio*, Gallice *pouvoir*, opus est, ubi novum ac speciale illi mandatur negotium, cuius gravitas pro paciscentium securitate ampliorem desiderare autoritatem vindicatur.

31. Negotium vero gerere non potest legatus, nisi admissus: *admissio* autem voluntatis est, non necessitatis, atque adeo ad regulas decori & prudentiae potius quam juris pertinet.

32. Quemadmodum enim nemo ad legatum alteri mittendum cogi potest, ita nec ad admittendum alter uila vi juris cogetur; cuius rei ratio a libertate gentium

tiū & Princīpum naturali dependet.

33. Unde nec injuriæ loco haberi potest, legatum non esse admissum, modo sine contumeliam rejiciatur.

34. Consistit autem *admissio legati* in pacto, vi cuius is pro legato agnoscitur, tantumque libertatis & securitatis ei promittitur; quantum finis legationis requirit; hac tamen conditione, ut & ipse tranquille sese gerat, nec injuriam cuiquam faciat.

35. Utrumque aequum est, ut ab altero alteri promittatur: sine priori enim finis legationis, sine posteriori securitas a legato obtineti non potest: & cum in arbitrio admittentis sit, utrum admittere legatum velit, utique integrum ipsi erit, legem pacto dicere, sub qua illum admissus sit.

36. Declaratur admissio vel *expresse* per litteras liberi commeatus, vulgo *salvum conductum*; vel *tacite*, si post significatum a legato adventum ei aditus non prohibeatur.

37. Admissus legatus omnia sibi jura, characteri suo debita, atque ad finem legationis obtinendum necessaria, merito

to exigit: qui adeo *effectus* admissionis est.

38. *Jura hæc legatis debita ad duo revocari capita possunt, nempe Sanctitatem & Honorem.*

39. *Sanctitas vero, seu inviolabilitas, iterum & securitatem ab injuria, & immunitatem a foro loci, & libertatem agendi, & libertatem religionis complectitur.*

40. *Vi hujus igitur sanctitatis legatus semel admissus non solum ab admittente nulla injuria afficiendus, sed etiam adversus aliorum injurias defendendus, quantum id in potestate admittentis est. Ad injurias vero & minæ pertinent.*

41. *Distinguendum tamen hic inter legatum innocentem & nocentem, inter togatum & sagatum, inter eum, ad quem legatus mittitur & tertium.*

42. *Innocentis & togati legati securitas eodem, quo omnium reliquorum hominum, fundamento nititur, præcepto nimirum de non lædendis aliis.*

43. *Sagatus legatus, qui ab hoste venit, nullam sibi securitatem polliceri potest, quamdiu admissus non est: post admissio-*

sionem vero, ubi pacto securitas ejus firmata est, violari non potest.

44. Quod si durante legatione coortum sit bellum, durare promissa securitas censenda est, quamdiu vel tractandi animum hostis ostendit, vel saltem donec e finibus commode excedere legatus potuerit: quoniam & hoc natura securitatis promissæ & finis legationis requirit.

45. De legato *nocente* aliter pronunciandum videtur: cum enim pro legato agnitus, & securitas ei promissa non intelligatur nisi hac lege, si & ipse neminem lasserit; sibi certe attribuat, si factis suis jure suo se indignum reddiderit.

46. Quod si etiam legati duorum hostium apud tertium Principem adversus se invicem hostilia tentent, hic quidem in neutrum imperium habet: potest tamen utrique interdicere, ne in suo territorio turbas moveant, alias se eos pro legatis non amplius agniturum esse.

47. Imò licet expresse nihil dictum sit, præsumendum tamen, eos hac lege apud tertium esse, ut quiescant, & nihil hostile moveant: secus si faciant, conqueri non poterunt, si intra pomoeria tertii non tolerentur.

48. Sed

48. Sed ut clarius appareat, quid in legatum nocentem liceat, jam quousque immunitas a foro loci se extendat, curatiū dispiciendum.

49. Illud quidem certum, regulariter legatum jurisdictioni Domini, ad quem missus est, haud subjectum esse: eo quod tanquam alieni Domini administer receptus est, in quem recipienti nihil potestatis competere potest.

50. Et quoniam iurisdictio in legatum ad finem legationis haud facit, quin potius ei obesse posset: immunitas a foro loci utique legato sub admissione reservata videtur.

51. Sed dantur tamen casus, quibus privilegio fori excidere videntur legati, idque vel in casu *delicti*, vel in casu *debiti*, vel alias caussæ civilis.

52. Quod ad *delicta* legati attinet, in genere videtur afferendum, omnibus delictis, quibus Respublica, ad quam missus est, vel Imperans, vel subditi ejus laeduntur, legatum excidere sanctitate sua modo manifesta sint.

53. Ratio est, quod sub ea conditione legatus receptus est, ut tranquille vivat, nec injuria quenquam afficiat.

54. Sed

54. Sed quousque sanctimonia excidat, & quales vindictæ delictis ejus opponai possint, ad prudentiæ potius, quam juris regulas spectare videtur.

55. Non negligenda tamen erit distin-
ctio inter delicta in *privatos*, & in *Rempu-
blicam* vel *Imperantem* admissa, itemque
inter *tertia* & *atrocias*.

56. Delicta *tertiæ* in *privatos* patrata dissimulari poterunt: *atrociorum* vero po-
mine reparatio hæsis facienda, vobis ut e fi-
nibus excedat, exigi poterit; neutiquam
vero poena affici, quoniam subditus alic-
ius manet, licet pro legato non amplius
agnoscatur.

57. Propter delicta in *Principem*, si levi,
one fuerint, v. g. maledicta, minas, editus
ipso denegari, & abitus injungi poterit.

58. *Atrociora* vero delicta in *Principem*
vel *Rempublicam*, sive armata sive inermi
manu commissa, etiam per internecionem
legati, non quidem ut subditi, sed ut ho-
stis, vindicari poterunt; vel vinculis po-
terit constringi legatus, donec de satisfa-
ctione satiscautum sit.

59. Quod si, tamen evaserit legatus &
ad poenam ejus se offerat Dominus, nihil
amplius desiderari posse, nec ditionem

necessariam esse, putaverim; sicuti nec, finem pecuniarum hic cessare, dici poterit. 60. Id magis dubium, an jure talionis aut repressaliarum in legatum gravius animadvertisit possit, si vel noster Princeps ab ipsis Principe, vel legatus noster aliive subditia legati gente laeti fuerint?

61. Sed hic videndum, an legatus post injuriam illatam adveniens fide data receptus sit: atque sic citra perfidiæ notam vicissim laedi non potest, quoniam injuria hoc pacto remissa vel in aliud tempus dilata videtur.

62. At si tempore facinoris perpetrati legatus illius, qui nos offendit, jam legationem apud nos obeat, jure stricto haud prohibemur, jus talionis vel repressaliarum in eandem exercere, & vel sub custodia eum retinere, vel pro re nata occidere: quia nos violentis jura vicissim citra injuriam violamus.

63. Jam quid in *casu debiti* aliisque causis *civilibus* legatorum obtineat, disquendum. Et videtur haud iniquum, si magistratus loci, ubi legatus contraxit, eundem ad contractum explendum atque debita solvenda adigat.

64. Vis

62. Videtur enim privilegio fori categorice renunciasse quatenus, secundum statuta loci contrarerit: quod & necessarium fuit, quoniam alias nullum ibi contractum celebrare, neque adeo commode degere posset.

65. Videtur etiam illud admissionis legibus conforme, cum securitas promissa intelligatur hac lege, nisi vel Imperanti vel subditis damnum intulerit.

66. Hinc si legatus, denegata solutione damnum subditis loci inferat, satis juris erit domino loci, pro damnis subditorum avertendis convenientia media adhibere, atque, captis pignoribus vel obsidibus, iis de securitate solutionis prospicere: quippe quod & in statu naturali cuivis adversus eum, quo cum contrarerit, licebit.

67. Affinis hactenus disputatis questio est, an legatus jurisdictionem in suos habeat? quae affirmando, si de litibus domestico- rum compонendis agatur.

68. Quid si vero cum extraneis res sit? & adhuc eos legati jurisdictioni subesse putem, nisi expressa conventione aliter cauteum sit.

69. Poterit tamen magistratus loci, vel aliis legatus, quem res tangit, exigere, ut

vel puniat vel dedat eum: id, si deponget, injuria ipsi non fiet, si alii, quorum intercessio vindictam a peccantibus sumunt.

70. Ceterum securitas legato debita etiam comitibus ejus, itemque sedibus, curribus, navibus, ceterisque rebus, a propter te accessoriis legati debetur.

71. Non autem violabitur haec securitas, si conceperit sit res, cui ceterorum adventantium, ita & legatorum, visitare, ne solo id defraudentur, nec dignitati legatorum repugnabit, hunc etiam statutum submittere: quamvis honoris causa, & ex regulis decoriret illa visitatio omittatur.

72. Jam agilius & quousque in sedibus legatorum locuta habeat statutum, prius admittendum est; cuius adeo arbitrio se hac in parte conformare legatum operetur: quoniam hoc ad finem legationis non pertinet.

73. Ad sanctimoniam legati spectat etiam libertas agendi, seu loquendi & mandata domini exponendi, itemque commercii litterarii, & cursorum publicorum: quae integra omnino servanda est legati, quoniam haec ad finem legationis usque necessaria est.

74. Huc

74. Huc etiam referenda libertas religione in adibens suis exercendas, quam denegari legato neutiquam potest.

75. Assimilatio legato opera sit, sicut ius, qui non sunt ex eboricatu eius, hanc permissur, ejusdem sacra frequentare: quantum legato, ut ipse hos arcesset, injungi non possit.

76. Quod iure vero legato interdicatur queat, ne conciones apud se alio sermonem ad populum, quam yernaculo, sane non videtur.

77. Jam de sanctitate legati respectu, per cuius territorium transfit, dispendendum. Et quidem si is neque ab hoste veniat, neque ad hostem eat, res expedita est; siquidem per communem naturam legata de non habendis aliis securitati ejus prospectum est.

78. At si vel ab hoste veniat, vel ad hostem eat, legatus absque litteris committatus, salvum & incolumem sibi transitum vix polliceri poterit.

79. Superest alterum juris gentium circa legatos caput, quod in honoribus constitut legato debitum.

80. Sunt isti duplicitis generis: alii o-

nimirum exhibentur, ad quos mittitur legatus; alii vero a legatis sibi invicem exhibentur. *Ita ut legati a civitate, alii imperio. De prioribus nihil certius inter gentes videtur constitutum: sed habent singulatim civitatesque receptos apud se & usum introductos honores, quibusq[ue] iuste ceremoniarum rem definiunt; sicut & certi ministri iis regendis ac dispensandis praeficiunt.*

82. Ad tria tamen aut quatuor summa capita ista fere referuntur: ad receptionem, ad hospitalitatem, ad audienciam; & huic adjunctum jus regendi caput coram Principe, ad titulos denique, quibus legatus compellatur.

83. Quod primum attinet, id ubique penitus in usu est, ut excipiendis legatis, qui adventum suum notum fecere, obtiam exfur honorifico comitatu, quem Princeps aut civitas in occursum mittit, salutandi & deducendi caussa.

84. Hospitalitas in eo consistit, ut locus & lautia legato dentur: ubi rursus multum variatur.

85. Audiencia est actus publicus & solennis, quo velut auspicatur munus suum lega-

legatus, seque in functione sua firmati.

86. Solennia audiētis in his vīcē eonāsistunt: primum certa ordine certaina pompa legatis in aulam deducitur; inde ad colloquium Principis admissus brevi oratione defungitur, ad quam breve a Principe responsum fert; denique eodem ordine eademque pompa domum reducitur.

87. In hāc audiētia legato etiam facultas esse debet regendi se coram Princepe, a quo ad id ipsum invitandus est.

88. Qui honor legato primi ordinis adeo debitus est, ut, si cui negetur, eo ipso character ejus & status in dubium revocari videatur.

89. Honores, quos legati sibi invicem exhibent, aliquanto magis ad regulam dispositi inveniuntur, atque sequentes ferè sunt: *denunciatio adventus & gratulatio, prima visitatio ultimo adventanti data, revisitatio, locus honoris in cundo & sedendo, & denique titulus Excellentie.*

90. Si quid ex his unus alteri denegat aut controversum facit, is eo ipso testatur, se pari secum jure & conditione alterum non habere.

91. Sed

91. Sed quousque haec omnia ex regulis justi exigit queant, antea est disputatio; quoniam mores gentium hac in parte variantur, & pleraque ab arbitrio & benevolentia exhibentis dependunt, ad eosque ad regulas decori potius pertinere videntur.

F. I. N. I. S.

Etiam si etiam in aliis legibus non habentur iuris consuetudines, non potest esse iuris consuetudine, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines. Non enim possunt esse iuris consuetudines, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines. Non enim possunt esse iuris consuetudines, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines. Non enim possunt esse iuris consuetudines, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines. Non enim possunt esse iuris consuetudines, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines. Non enim possunt esse iuris consuetudines, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines. Non enim possunt esse iuris consuetudines, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines. Non enim possunt esse iuris consuetudines, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines. Non enim possunt esse iuris consuetudines, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines. Non enim possunt esse iuris consuetudines, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines. Non enim possunt esse iuris consuetudines, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines. Non enim possunt esse iuris consuetudines, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines. Non enim possunt esse iuris consuetudines, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines. Non enim possunt esse iuris consuetudines, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines. Non enim possunt esse iuris consuetudines, nisi in aliis legibus non possint esse iuris consuetudines.

BRUNO.